



FRACASTORII
DE
CONTAGIONE











1908
un dieu
un roy
D'Arcy Power
m.b. oxon. f.s.a.



Res

fi 5

416 **FRACASTOR**. Hieronymi Fracastorii Veron. Liber I, de Sympathia et antipathia rerum. De contagione, et contagiosis morbis, et eorum curatione, libri tres. *Lvgdvni, apud Gulielmum Gazeium, 1550*, in-32, 1/2 veau ancien, dos orné (390). 15 fr.

Rare ouvrage du célèbre médecin de Venise, Francastor, auteur de l'admirable poème : « Syphilidis ». On trouve dans ces intéressants traités, particulièrement dans le second, de bonnes choses sur la variole, la peste, la suette, la fièvre petéchiale, la rage, les maladies vénériennes et plusieurs affections de la peau. Fracastor est le premier qui aii parlé de la contagion de la phtisie pulmonaire, et la doctrine qu'il a émisé, quoique combattue par un grand nombre de bons observateurs en Europe, est maintenant adoptée et même consacrée par les lois sanitaires.

Fra

Orné de 21 reproductions et d'une carte
ciale de la commune de Naves. 3

o. Les marguilliers des Mathurins en Limousi[n]. 2 f[r.]

p. Mines et minières de la Corrèze. Le Bas-Limousin minéralogique. 7 fr. 50

q. Monographie de la Commune de Naves (Corrèze). *Orné de 5 photogravures hors-texte, de 8 gravures dans le texte et de 3 cartes.* 2 vol. 12 fr.

r. Les papes limousins. 4 fr.


s. Principes de civilité en Corrèze, il y a un siècle. 0 fr. 75


t. Le Royal-Navarre-Cavallerie et son chef. Episodes révolutionnaires en Corrèze, (1790-1791). 2 fr. 50

u. Une seigneurie du Bas-Limousin (Chaunac). *Nombreuses figures.* 3 fr.

v. Les Thermidoriens Tullois (1794-1795). 2 fr. 50

Res






HIERONYMI FRACASTORII VERON.

LIBER I,

De Sympathia & Antipathia rerum.

De Contagione, & Cōtagiosis Morbis, & eorum curatione, Libri Tres.

Γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις.



Estote prudentes sicut Serpentes.

LVGDVNI,
Apud Gulielmum Gazeium.
1550

EORVM INDEX, QVAE in hoc libro de Sympathia, & Antipathia rerum, continentur.


E ſympathia&antipathia multorum. Cap. 1. pag. 21.
De primo rerum omniũ conſenſu. Cap. 2. p. 24.
De ſympathijs elementorũ ad loca propria. Cap. 3. pag. 29.
De conſenſu partium in ſuo toto. Cap. 4. pag. 33.
De attractione ſimilium. Cap. 5. p. 40.
De conſenſu & diſſenſu elementorum circa qualitates cõtrarias. C. 6. p 57.
De ſympathijs & antipathijs miſtorũ & attractione ſimilium. Cap. 7. p. 65.
De æcheneide quo modo firmare nauigia poſſit. Cap. 8. pag. 76.
De antipathia contrariorum, & quomodo ſe mutuò pellant. Cap. 9. p. 79.
Cur & calx & pannus & alia ſicca aquã prõptiſſimè admittãt. Cap. 10. p. 83.
De analogia rerum in agendo. Cap. 11. pag. 94.
De animæ ſympathijs & antipathijs. Cap. 12. pag. 111.

De ſympathijs animæ cognitricis. Cap.13.pag.116.
De ſenſuum ſympathia & antipathia. Cap.14. pag.123.
De primis effectibus, qui fiunt ex conſenſu & diſſenſu ſenſuum. Cap.15. pag.130.
De conſenſibus & diſſenſibus phantaſiæ. Cap.16. pag.147.
De gaudio & appetitu. Cap.17.p.156.
De triſtitia & odio. Cap.18. pag.163.
De timore. Cap.19. pag.170.
De admiratione & ecſtaſi & riſu. Cap.20. pag.179.
De ira. Cap.21.pag.190.
De verecundia. Cap.22.pag.195
De alijs quibuſdam conſenſibus phantaſiæ. Cap.23. pag.197.
De quibuſdam dubijs à Rhānuſio ſcriptis. Cap.vlti. pag.203.
Index eorum de quibus tractatur in libris de Contagione & Contagioſis morbis.
Quid ſit contagio. Cap.1.pag.216.
De contagionū differentia.Cap.2.220
De cōtagione quæ ſolo cōtactu afficit. Cap.3. pag.222.
De contagione quæ fomite afficit.

Caput

Cap.4. pag.226.
De contagione quæ ad diſtans fit. Cap 5.pag.232.
Quòd cauſa contagionis, quę ad diſtãs ſit, nõ ſit reducenda ad occultas proprietates. Cap.6 pag.234.
Quomodo ſeminaria cõtagionis ad diſtans ferantur & in orbem. Cap.7. pag.241.
De analogia contagionũ. Cap.8.p.253
Vtrum omnis cõtagio putrefactio quædam ſit. Cap.9.256.
Cur morborum alij contagioſi ſint, alij non, & cur contagioſi lenes. Cap.10. pag. 261.
In quo contagio conueniat cũ venenis & in quo differat. Cap.11.pag.264.
De alijs quibuſdam differentijs contagionum. Cap.12.pag.267.
De ſignis cõtagionũ. Cap.13.pag.280.

Liber Secundus.

De febribus cõtagioſis. Cap.1.pa.288.
De febribus quæ variolę & morbilli dicuntur. Cap.2. pag.290.
De febribus peſtilẽtibus. Cap.3.p.205.
De differentijs peſtilentum febrium, & cauſis. Cap.4. pag 410.
De febre peſtilenti in Britannia.

Cap.5. pag.318.
De febre quam lenticulas vel puncticula vocant. Cap.6.pag.321.
De causis. Cap.7.pag.326.
De verè pestiferis febrib⁹.Ca.8.p.334.
De phthisi contagiosa.Cap.9.pag.341
De rabie. Cap.10. pag.347.
De syphilide seu Gallico morbo. Cap.11.pag.357.
De causis. Cap.12.pag.365.
De Elephantia. Cap 13. pag.385.
De lepra propriè dicta.Cap.14.p.400
De distinctione infectionum cutanearum. Cap.15.pag.402.
Eorum Index, quæ docent medicos cõtagiosos morbos curare.
Quòd peculiaris curatio debeatur morbis contagiosis. Cap.1.pag.417
De intentione quæ habetur ad principia contagionis. Cap.2.pag.422.
De intentione quę habetur ad materiã quæ iam infici cœpit, & ad eam quæ iam corrupta est. Cap.3. pag.431.
De Curatione febrium variolarum. Cap.4. pag.442.
De Curatione febrium pestilentum cõmuni. Cap.5. pag.445.
De curatione febrium quæ lenticulæ

ſeu puncticula dicuntur. Cap.6. pag.459.
De curatione verè peſtilentum febriũ. Cap.7.pag.480.
De curatione phthiſis quatenus contagioſa eſt. Cap.8.pag. 495.
De curatione rabidorũ. Cap.9.p.504.
De curatione Syphilidis ſeu Gallici morbi. Cap.10.pag.512.
De curatione Elephantiæ. Cap.11.pag.552.

Finis Indicis.

ALEXANDRO FARNE-
ſio Cardinali Ampliſsimo Hie
ronymus Fracaſtorius
Veronenſis, S.



OMO hominì natus quum ſit, ſacerrime Princeps, illud ſæpe dubitatum fuiſſe video, vtro beneficio prodeſſe magis queamus, eo ne quod per otium comparatur contemplando & ſcribẽdo, an eo quod per negotia agendo, atque egregia multa nauando. nam plurimi quidem non ſolùm propinquis & amicis, ſed etiam Rebus pub. & multis ſępe nationibus magnoperè agendo profuere, plurimi verò ſcribendo. Inter quos illud intereſſe videtur mihi, quòd qui per negotia proſunt, præſentem magis, & magis perſpicuam vtilitatem pręſtant opes, patrocinia, honores, libertates, & alia eius generis multa. qui verò per otium, ſi non adeò præſentem vtilitatem, at certè cõmunem magis, & magis perpetuam ac iniurias temporis & fortunæ ſuperaturam afferunt. quo pacto diſciplinæ, leges

ges, historiæ, artes inuẽtæ, auctæ, ac per manus traditæ in ætates omnes, in nationes omnes peruenire potuere. vtroque autem modo prodesse posse, paucissimis quidẽ, quos Deus præcipuè amauit, semper concessum fuit. quod otium & negotia inter se non parum aduersari solent. qua de causa Reges, & Principes viri, quòd actionibus detẽti, distractíque minus otio inseruire possũt, per alterũ magis (hoc est per actiones) prodesse ipsi quidem consueuere, per alterum autem minus, hoc est per ea, quæ ab otio proficiscũtur beneficia. verùm enimverò quicũque verè Reges & Principes sunt, curant profectò & prouidẽt, vt quod ipsi per se nõ possunt, per alios nihilominus præstent, ne quum altero in genere excellant, in altero humano generi deesse videantur, cuius beneficio nati, constitutique à Deo sunt. qua in re non minus laudandi commendandique sunt, quã in eo, quod per se ipsi possunt & conferunt. & si enim magna est ea virtus, quæ per se facit, non minor tamen & illa est, quæ alium mouet & p ipsum vsui est, quãdo neque Deus optimus atque omnipotens per se sem-

per & ſtatim prodeſſe vult, ſed aliorum opera & miniſterio ad eam rem vti conſueuerit. ex quo quidē fit vt Reges nō paruam ingeniorum rationem & curā habeant, ea alant, & foueant, & quodā modo vt pariant, cauſæ ſint. quare & illud rectè homines inſtituiſſe videntur mihi, vt quēadmodum, qui naturę ſunt partus Dijs optimis conſecrantur, ita ij, qui ſunt ingenij, Regibus & Principibus viris dedicarentur. flores quippe & fructus, & primitias frugum atque animalium templis & aris offerri videmus, poemata verò, hiſtorias, & reliqua diſciplinarum inuenta, ijs qui poteſtatibus pręſtant. quin ipſos quoque vtpote modis omnibus de humano genere benemeritos, & Dijs optimis benefactoribus ſimiles dicere ſolemus, & Deorum nomine ſalutare, & in Deorum cætum & numerum vita functos referre. verū qui tales ſpectētur, paucisſimi quidem omnibus ſeculis ſemper fuere. quando multos ipſa illa poteſtas, qua inſignes ſunt, non in aliena cōmoda, ſed in propria trahere conſueuit. quapropter & maior eſt eorum paucorum gloria, quos vera virtus eo efferre potuit, vt Deos

opti

mos imitarétur. quos inter (vt ad te veniã præstantissime Iuuenis) tu quidem raro, nescio quo virtutum igne splendere, atque ea præcipuè teneri pietate videris, quę & per sese, & per alios prodesse studet, & vult. nam vt priuata taceã beneficia, quę innumera in dies cõfers, tot quidé publica ac tãta obis, non pro patria solùm Roma, nõ pro Italia solú, sed pro tota Europa, pro vniuerso Christiano nomine, vt non solum te admiremur omnes, ac suspiciamus, sed in tãto christianarũ rerũ discrimine à Deo maximo electũ existimemus. cum quo sanctissimus Auus tuus Paul. iij. Põt. Ma. curas omnes, actionésque partiretur, iã tũ te ab adolescétia eũ auspicatus futurum, in quo onus tandem recumberet tantæ molis. qua in re & illud quoque magnopere admirandum est, quod moles ea quum tam grauis, tam varia sit; tu tamen literarum haud immemor, nõ minori cura atque opera studes, vt & hac quoque in parte nec tibi, nec alijs desis: nam quũ magna quadã atque excellenti natura æquè & ad actiones, & ad studia literarũ sis natus, facis profe-

ctò,

ctô,vt & de te multa aliquãdo ſperãda ſint, & vt interea quod tu per ætatẽ ac maxima neceſſariáque negocia præſtare non potes,alij certè præſtẽt:quos tu ita beneuolẽtia, ita omni ſtudio ãplexaris, ita liberalitate, patrocinio, ac fauore omni foues,atq̃ excitas,vt nõ minus tibi debeãt literarũ ſtudia,q̃ christiana libertas . Cui quidẽ rei & ipſe teſtimonio eſſe poſſum, quẽ tu quũ nec vnquã vidiſſes, nihil à te poſcẽtẽ beneficijs tamẽ nõ paucis ea vna de cauſa ſis proſecutus,ac proſequaris in dies.cui ego beneficentiæ & virtuti ita me addictũ,ita deuinctũ ſenſi,vt iã diu nihil animo ęquè fixum habuerim,q̃ tibi tuęque iſti, qua teneris pietati, aliquid parerẽ , qđ tuũ tuiq̃ cauſa cõfectũ dici poſſet . hoc eñ vnũ dabatur mihi , quo q̃ gratus eſſet animus erga te meus, poſſem oſtẽdere quã rem tametſi ſeriùs q̃voluiſsẽ,negotijs varijs impeditus,nunc demũ tamen cõfeci. non quidẽ ea in re quã magis deſideraſſem, quãque exiſtimaſſem tibi gratiorẽ futurã, ſed ea tamen quã, quòd vtilitatẽ non paruã(vt ſpero) allatura ſit , haud ingratam tibi futuram exiſtimem. Igitur (quod tuũ dicas)pro

eo ocio quod mihi concessum fuit, de contagione & contagiosis morbis omnibus, & eorum curatione scribere mihi visum est. magna quidem materia & admirationis non paruæ plena. cui & cõmentarium adieci non minus (vt arbitror) desideratum de consensu & dissensu rerum, quam sympathiam & antipathiam vocant, sine quo natura cõtagionum planè perquiri & monstrari videbatur. vtrunque autem negotium mihi eò libentius suscipiendum duxi, quòd quum hoc quidem scitu dignum sit, illud ad salutem mortalium non parum conducere videatur, tum de vtroque q̃ paucissima quidẽ à maioribus nostris, quæ extent, quæque viderimus nos, literis mandata sunt. De sympathia quidẽ & antipathia rerum Galenus iam sese nonnulla scripsisse refert, verùm ea scripta aut interiere, aut ętate nostra, quod nos sciamus, adhuc in lucem non peruenere. de contagione verò Hippocrates quidem circa populariter vagantes morbos, nonnulla tetigisse videtur. sed tamen qui obseruaret magis, quàm naturas eorũ traderet. Galenus verò post ipsum plura quidem monstrauit, sed &

ipse

ipſe tamen & ſectator illius Paulus ægi neta, & Aetius Amidenus, & alij vete- res non pauca, vt mihi videtur, relique re, quæ poſſent magnopere deſiderari. Recentiores autem nihilo plus de con- tagione videntur dixiſſe, quàm quod ab occulta quadam proprietate proue- niat. quæ autem in vniuerſum natura contagionum ſit, & quo principio affi- ciant, & quo pacto gignãtur, & cur alię fomitem relinquant, aliæ ad diſtans ſe- ſe etiam propagent, & morborum cur alij cõtagioſi ſint, leniores, mitioréſque exiſtentes, alij minimè contagioſi acer- biores, ardentioréſque multo quũ ſint, & quo à venenis contagio differat, & eiuſmodi alia multa, nulli dicere tenta uere, ſatis quidem feciſſe rati ſi horum omniũ cauſas in occultas illas (ita ipſi vocant) proprietates reduxiſſent. qui- bus acquieſcẽdum non modo ſibi ſunt arbitrati, ſed & alijs præcepere. atque his contenti in quamplurimis philoſo- phati ſunt, quod certè philoſopho ho- mine ſemper indignum exiſtimaui. cau ſarum enim quum quædam vniuerſaliſ ſimę ſint & remotiſſimę à rebus, quędã verò propinquiores & particulares ma-
gis

gis, & demũ quędã ꝓpinquiſſimę & proprię, proprias quidẽ & propinquiſsimas in recõditis & difficilibus attigiſſe, aut Dei certè eſt, aut diuini. vniuerſaliſsimis verò ſtare, ignaui & ruſtici ingenij eſt, medias verò inquirere, & ad ꝓprias niti (quãtum homini datur) philoſophi certè eſt. Admiraberis aũt fortaſſe duas me haſce materias ſumpſiſſe ſcribẽdas, quarũ alterã maiores noſtri penè intactã reliquerũt, alterã omnes fateãtur ab homine ſciri nõ poſſe. Verũ enimvero, quòd tũ ſympathiæ rerũ, tum & natura cõtagionũ in difficili atque arduo poſitæ ſint, & nos quidẽ cõcedimus: quin & ineptũ quoque aut arrogantẽ magis eũ fore dicimus, qui propinquiſsimas & proprias earũ cauſas præſumat inquirere. verũtamẽ idẽ ille ſi medias perueſtiget, multa illũ inuẽturũ nõ diffido, quę tũ delectare, tũ & magnopere prodeſſe poſsint. quod inſtitutũ & mihi ipſe in hac noſtra perueſtigatione propoſui. præteritam verò fuiſſe à maioribus noſtris cõtagionũ materiã, neminẽ mirari velim, cùm id accidat diſciplinis oĩbus vt nõ oĩa ab ijs q̃ eas cõdũt, abſolui poſſint. qm̃ vniuerſalia magis & rerũ pricipia

pia proſequãtur. ita in ea quæ de natura eſt philoſophia innumera quidẽ partim intacta, partim nõ planè diſcuſſa relicta ſunt. nã neque quomodo intellectio in nobis fiat, hactenus traditũ fuiſſe video, neque earũ qualitatũ quas ſpirituales vocãt, naturã ſatis demõſtratã & alia multa. quod & in re medica cõſimiliter quoque cõtigit: in qua plurima adhuc ſupſunt q̃ poſteris & nepotibus inquirẽda patres noſtri reliquerint, nos porrò nepotibus noſtris relinquemus. multa præterea intereũt eorũ, q̃ ſcripta iam fuere, multa viuunt quidem, ſed nõ apud omnes, ita ſe habet mortaliũ rerũ condicio & viciſſitudo. Neceſſaria autẽ necne ſit cõtagionũ inquiſitio, quã nos in præſenti aggredimur, ſi Dij annuerint, vnuſquiſque videre poterit, qui ea legerit, quæ ſcribemus. Tu verò qualiacũque hæc fuerint, quæ pro vetere inſtituto ſacramus principi viro, tibi autem quòd tua iã ſint, & tui gratia enata, libẽti animo accipies, tũ & authoritate, q̃ tibi eſt tãta, proteges, vt nemo calũnijs inſectari audeat, quæ tibi accepta fuerint, & ſub tuo auſpicio emiſſa.

Ad

AD EVNDEM ILLVstriss.& Reuerendissimũ Cardinalem Farnesium.


HAEC ego florentes sophię digressus in hortos,
Italiæ decus ò iuuenis Farnesia proles,
Cõdebã, lectásq̃ tibi de more sacrabam
Primitias, dum tu magni inter Cæsaris arma,
Gallorúmq̃ acies, recti pacisque seq̃ster
Res miseræ Europæ fractas componis, & omne
Robur, & arma dei Maumethen vertis in hostem,
Percurrisqúe omnẽ, veluti sol aureus, orbem.
Fortunate nimis, quem cunctæ applausibus vrbes
Excipiunt, pacisqúe vocant patréqúe, deúmque,
Inqúe caput, sacrosqúe sinus, humerós que, manúsque,
Et nigras violas, & cãdida lilia iactãt.
Cui magna Italia, & terrarum maxima Roma

Aſſurgit, feſtóſque dies, & ſacra nepoti
Solēnéſque agitat pompas. denſi vndi
quúe circum
Stant populi, & ſtudio ingenti & clamore ſecundo
Farnenſum genus omne, alto de ſanguine ductum
Aeneadum longa ſerie, ſuper Aethera tollunt
Patres, atque duces, & partos mille Triumphos.
Aſſenſu reſonat Tybris, & Tyrrhena reſultant
Littora, ſepteni reſpōsātgaudia colles.
Quo me Paule rapis, quo túque nepóſque vocatis
Laudibus Hæroum inſuetum? tu maximus ille es
Vni cui regni triplicis capite alta tiara
Cōſurgit, cui sūma vni terna illa ptās
Terrarū cœliq; data eſt vaſtiqúe pfūdi
Illorūqúe apire fores & claudere poſſe
Qui Petri, Chriſtiqúe ratem turbante procella
Ventorū varia, & remorū pte reuulſa,
Tempeſtatē oém, atque aduerſos diſcutis Euros.
Nec ſanctam ſine honore ſinis, ſine remige

mige certo
Fluctibus in tãtis agitari turbine cymbam.
Macte animo Romano, & Macte ingẽtibus ausis.
At tibi quas Iuuenis fortunatissime dignas
Attribuã laudes, gñis spes altera tanti
Inclyte Alexander?puerum quem plurima virtus,
Canáque cõsurgens teneris prudentia in annis,
Et spõdés maiora astris felicib⁹ ęther,
Ad summos meritum ante annos euexit honores,
Et sacri gestare dedit decora alta galeri.
En quantũ de te sacri sibi pastor ouilis
Spondet auus tuus ille,animo quę gaudia versat.
Forsitã & ꝓprio nõ tã gauisus honore,
Quã spe sublat⁹ tãti & virtute nepotis
Nescio qd maius pręsaga mẽte volutat
Scilicet & gnarus fatorũ, & p̃scius ęui
Venturi, illa videt fœlicia tempora, quum tu
Sede sua soliqúe Dei, dijs ꝓxim⁹ ipsis
Consideas, quum pontifici tibi maximus orbis

Gratetur, ſupplexque tuis ferat oſcula
plantis.
O mihi poſtremæ tm̃ dẽt numina vitę,
Ipſe ẽt vt tũ te tremulus, cõfect⁹ & ãnis
Aſpiciã, ſanctusqúe pedes, ꝓſtrat⁹ adorẽ
O & ſi poſsim canere, & tua dicere facta,
Et vẽtura nouo tecũ ſecla aurea mũdo.
Nã video ſub te victũ lõgéque fugatũ
Maumethen ſe Caucaſeis includere
portis.
At pacẽ viridi redimitã tempora oliua
Ire per Europã magnã, atque inuiſere
terras,
Quam pia relligio, & iunctis concordia dextris
Et probitas, & Amor recti comitantur
euntem.
Salue magne Tybri, ſalue & tu maxima rerum
Roma parens, ſaluete arces collesqúe
Latini,
Aurea q̨ primi lõgo meminiſtis ab ęuo
Sęcula, quũ nulli variarẽt iugera ſulci,
Spõte ſua ſed terra ferax daret omnia,
& ipſæ
Pręberẽt dulci victũ de robore glãdes,
Et nũc vẽturis eadẽ ſperatis ab annis.

HIERONYMI Fracastorij Veronensis,

DE SYMPATHIA ET Antipathia rerum. Liber Primus. Caput Primum.



RIMVM autem de latēti rerū cōsensu & dissensu, quam Sympathiā & Antipathiā dicunt, agamus, quo nihil admirabilius est in tota natura, nihil scitu desideratū magis. Gallinaceus pullus vix natus equū Elephantemq; nihil reformidat, Miluum vel longè conspectū adeò expauescit, vt ad matrem statim confugiat. eadem agno & lupo & alijs multis inimicitia est. Marsi & Psili serpentes illęsi tractant. Tessalos &

quaſdam familias in Creta legimus laudãdo afficere faſcino cõſueuiſſe, intuẽdo verò Infantes in tabẽ vertere. Fulmen aurum colliquat intacto loculo, tum vina abſumit vaſe nec quicq̃ leſo. Adamantẽ ferunt ſolo Hircino ſanguine molleſcere. mala medica inſperſo in eorum cumulũ pane flacceſcere. vniſono in cythara tacto moueri & aliud vniſonũ videmus, quod ne propè etiã ſit: cõcuſſo verò tympano è corio lupi cõfecto, dicũtur ea diſſolui tympana, quæ ex agnino corio ſint cõflata. Herculeus lapis ferrum ad ſeſe trahit, Adamas & Electrũ pilos & ſurculos. quid verò ęquè mirandũ eſt quàm ignotũ illud antiquis miraculũ nauigatoriæ pyxidis, cuius extremũ perpẽdiculum tẽperati magnete ferri, in

incredibili diſtãtia ad eas ſemper partes ſeſe cõuertat, quæ ad Polos ſpectant? quid ꝙ Leo animaliũ omniũ terror, gallinaceo tamẽ gallo terretur præſertim cantũ emittẽte? Taurũ affirmãt quãuis furentẽ alligatum ficu ſtatim mãſueſcere. Braſsicæ & rutæ tanta inimicitia eſt, vt iuxta ſeri nolint. Cucumis aũt ſuppoſito oleo recuruari videtur. Aurũ neque oleũ, neq; aquã imbibit, argentũ viuũ ſtatim ac raptim quodãmodo ebibit. Oleũ aquæ nõ admiſcetur, quã nec Adiantum admittit, q̃q̃ riuos & fontes amet. Calx verò & ſpongiæ & id genus, liq̃da omnia ita abſorbent, vt mirari liceat quũ alioqui inter ipſa cõtrarietas non parua ſit. & illud quoq; mirãdum eſt, ꝙ oſcitante alio & nos pariter, niſi aduerterimus

mus, oſcitamus. & alio edente acerba quædam, ſaliua alteri in os proſilit. Catablepha animal, hominē ad mille paſſus cōſpectum interficit. in fœtus ſigna quędã eorũ trãſire vidētur, quę matres auidiſsimè appetiuere. Octimeſtris partus nō viuit, quũ tamē ſeptimeſtris viuere cōſpiciatur. Porrò ſupra omnē credulitatē videtur eſſe Echeneis paruus piſciculus, Remoram appellamus, qui medio in mari nauem vi atq; impetu ventorũ actã ſiſtat, vt alij ferunt, aut ſaltem, vt alij, tardet. & infinita alia id genus, quæ incredibilis admirationis ſunt plena. inter quæ & contagionum natura eſt.

De primo conſenſu rerum omnium.
Cap. 2.

PRimus autē, cōmunis rebus omnibus, & admirādus eſt ipſius vniuerſi cōſenſus. in quo quæ ſunt corpora, ita omnia inuicē connexa, ita hęrentia eſſe volunt, vt nulla potētia ſit, quæ eorū extrema, quibus ſeſe mutuo tangunt, ſeiungere prorſus poſsit, atq; ita ſeparare vt vacuus locus intercidat. Mira profectò res eſt, hac de cauſa grauia ſurſum trahi, leuia deorſum, cōtraria quę ſeſe pellere, atq; etiā interimere ſolēt, nolle tamen ſeiungi: tantus eſt cōſenſus ille rerū omniū in vniuerſo. Cuius rei ſi quis fortè finem requirat, & cuius gratia fiat, non difficile certè erit aſsignare rationem, quam & omnes aſsignāt, ne detur vacuū. quippè vacuū in natura eſſe non pōt, quoniā nihil natura ſuſtinet,

nihil admittit quod frustrà sit, quodq; vniuersi ordinē & leges impediat: quæ quidē cōtingāt, si vacuus sit vllus locus, in eo enim nec quicquā fieri poterit, nec quicquā recipi. At verò si quis nō solo fine contentus sit, sed & agens quoq; requirat, & quid nā illud sit, quod diuellēti resistat, & quo modo, nō erit fortasse ita promptū reddere rationē tanti nexus. quādo vniuersi partes neq; eum finē agnoscunt, neq; per naturā appetere possunt, aut contrarijs iungi si cōtraria sint, aut sursum duci si grauia, aut deorsum si leuia. neq; enim dicendū (vt quidā aiunt) vniuersi partes, tametsi nō eū cognoscunt finē, dirigi tamē à cognoscēte. qn̄ hic nō vniuersalē & primā causam q̄rimus, sed particularē & propriā: quale esse nō

po

potest eorũ vllũ, q̃ immaterialia sunt. Sic enim perijsset natura. neq; rursus dicendũ, vt alij, q materiã in cã ponũt, quæ per se semper cõtinua sit, sine forma autem omnino esse nõ posit, vnde accidat vniuersum semper esse continuũ & plenũ. materię enim neq; actionẽ, neq; resistentiã vllã iure possumus attribuere. Rectius igitur fortasse illud dicetur, primũ finẽ quem omnia per naturã habent, esse vt sint, ac cõseruentur: conseruantur autẽ substantiæ & corpora principaliter ac maximè per mutuum nexum & contactum extremorum, sic enim euitant vacuum, quo nihil esse potest inimicum magis omni naturę. atq; hoc est quod alij locari dicunt, locus enim fit vnũ corpus alteri, vnde & rectè aiũt locũ

esse

eſſe locati cõſeruatiuũ: quod profectò maximè fit, quum à vacuo præſeruet. Nõ cognoſcunt igitur eum finẽ ſubſtantiæ & corpora quæ in vniuerſo ſunt, per naturã tamen reſiſtunt, ne ſeparentur omnino. Non enim neceſſe eſt, quæ gratia alicuius agunt, finẽ etiam cognoſcere: ſed alia cognoſcunt quidem, alia per naturã agunt. In hoc autem ſimplici corporũ nexu & loco, nihil alteri cõtrariũ eſt, nulla verſatur inclinatio ſurſum aut deorſum. ꝙ ſi cõtraria sũt aliq̃ inter ſe corpora, ſi certã habẽt inclinationẽ, habẽt quidẽ nõ quatenus ſimpliciter corpora ſunt, ſed quatenus talia, puta calida & frigida, grauia & leuia, quare & quatenus talia vim aliquã pati pñt, ſimpliciter aũt nõ. quàcũq; igitur ĩtercidere

vacuũ possent, nexus & locus est necessarius substantijs omnibus: propter quod oĩa quæ intra primũ corpus sunt, locũ habẽt secũdũ extrema omnia. quoniã secũdũ omnia extrema vacuũ intercidere posset. Primũ autẽ corpus, qm̃ ꝑ supremã & extimã sup̃ficiẽ, vacuo nõ est obnoxiũ, nec alterius cõseruatiõe ĩdiget, ꝑ internam solùm superficiem locatur.

De Sympathijs Elementorum ad loca propria. Cap. 3.

IGitur quum omnia corpora finẽ eũ habeant vt conseruentur, prima quidem rerum omniũ conseruatio est, simplex illa locatio & nexus, quo præseruantur à vacuo vt dictũ est. secũda autẽ quæ priorem hanc pręsupponit, est certa & determinata locatio & nexus, quẽ

cõſenſum habẽt in primis elemẽta cum locis proprijs: neq; enim quatenus talia ſunt calida, frigida, grauia, & leuia, vbiq; cõueniẽtem locũ habent, ſed certas ſedes expoſcunt, & certos quorundam corporũ nexus. atq; igni quidem qui pro natura debetur locus, eſt totũ illud quod interiacet inter cõcauũ orbis lunæ, & cõuexam aeris ſuperficiẽ, vbi cõuenientiſſimè collocatur. quoniã cũ altero extremo illi orbi iungitur, à quo quàm optimè per lumẽ conſeruatur: cum altero verò Aeri, cui per caliditatem reſpondet: reſpondere autem per vtrãq; qualitatem nõ datur, quoniã ſic ignis iam Aer eſſet, quare per alteram ſi reſpondeat, ſat naturæ datum eſt. Aeris verò ſitus inter ignem & aquam quàm aptiſsimus eſt.
Cum

Cum hac enim humiditate, cum illo caliditate concordat. porrò aquæ ſedes inter aerem & terram eſt, cum altero enim humiditate, cum altero frigiditate conſentit. Terra verò circa centrū in aquæ concauo locum habet, cui frigiditate reſpondet. In his igitur locis omnem habent elemēta cōſeruationem, quam habere natura poſsint. nam & ſimplicem illum nexum & locū habent, quo præſeruantur à vacuo, tum verò & proprium, vbi propria eorum natura maximè bene habet. in reliquis autem locis priorem quidem & communem nacta ſunt conſeruationem, propriam autem non, propter quod prouidit natura illis, vt per media contraria viam ſibi aperiant ad propria loca. Habet autē dubitatio-

nem quādā, quod diximus loca propria elementorū esse nexum certorū corporū, quibus consentiant qualitatibus, quoniā quærētibus elemētis loca sua, indiuisibile quiddā videtur esse, quod vocāt vbi, ad quod per se feruntur tum tota ipsa, tum eorū partes, ac centrū sui faciunt. cuius signū illud est, ꝙ si loco aquæ poneretur aer, terra nihilominus ad centrum ferretur, & si loco aeris poneretur aqua, ignis q̄dē moueretur ad locū, quo & nūc mouetur, quare accidere quodāmō Elemētis videtur moueri ad superficies aliorū. Dicēdū duas elemēta habere ratiōes, alterā quatenns vna q̄dā natura est vnūquodq; illorū alterā q̄tenus partes sunt vniuersi & naturæ totius, ac certè q̄tenus vna q̄dā natura sunt, sic ꝓfectò cer-

certum vbi, certúmque locũ habent vnumquódque illorum, ad quod per ſe feruntur. ac ignis quidẽ locus eſt linea media inter concauum orbis lunæ, & conuexam aeris ſuperficiẽ, ad quam & ignis totus & pars eius quælibet per ſe mouetur, & centrum faciunt. Aeris verò locus eſt linea media inter ignem & aquam. Aquæ verò locus linea media inter aerem & terram. porrò terrę locus eſt centrũ. at quatenus partes totius naturę ſunt elementa, & veluti mẽbra vniuerſi, loca quidem eorum ſunt ea quæ dicta ſunt: ſicut enim in animali partes inter ſe conſenſum & relationem non paruã habẽt, & ĩ eo certos expoſcũt ſitus, ita & in vniuerſo quod perinde ac animal quoddã eſt, partes eius ſitus inuicem conſentientes, ex-

poſtulant . alioquin vniuerſum ipſum debitè conſtitutum non erit. Non accidunt autē loca hæc elementorū vt partes ſunt totius naturę, lineis illis medijs ad quas mouentur, vt naturæ quædā per ſe, imo cauſæ & fines illarū ſunt: ſi enim quęrat quis, cur ignis ad lineam inter lunam & aerem me diam moueatur, reſpondere licet idcirco eſſe ꝙ eo pacto rectè collocātur elementa in vniuerſo, & natura tota ſuos cōſenſus habet, nec ignis ipſe bene haberet niſi in ea linea facto totius centro; hinc quidē lunæ concauum, inde aeris conuexum tāgeret. atq; itidem de alijs quoq; dicatur, neq; alia quidem eſt in locis elemētorum vis cōſeruatrix, vt multi putant, quàm hæc quæ dicta eſt.

De conſenſu partium in toto. Cap. 4.

Eſt



St autem & alius in elemẽtis cõsensus partium quatenus in toto sunt: Constat enim si vi rarefactæ illæ sint sese condensare, si condensatę rarefacere quousque veniãt ad eum situ͂ qui toti pro natura debetur. qui quidẽ consensus non minus prædictis est admirãdus, tum quòd mirum est, partium alias descendere in eo toto, alias ascẽdere, alias in latus ferri, tum quòd ex causa hac maximi quidem & plurimum admirandi effectus proueniunt. nam & soni primum per hunc modum audiuntur, tum & primæ animalium motiones contingunt, & proiecta in aere continuum motum habẽt, & quo nihil admirabilius vidit tempestas nostra, Tormenta quoq; illa, per quæ mœnia & vr-

bes tãto impetu demollimur, per hoc principium dãt eam stragẽ. soni quidem nisi addensetur aer, non sentiuntur, quoniã qualitates quę sensus mouẽt, omnes quidem subiectũ in quo per se sunt, densum amãt, medium verò per quod feruntur earum species, nõ omnes densum volunt, sed quædam rarum exposcunt, quædam dẽsius. Lux igitur in subiecto raro non videtur, in densiori videtur, mediũ verò per quod species illius transit, rarum esse oportet. quædam verò tam subiectum in quo sunt, quã medium per quod deferũtur species densius poscũt, vt sonus, qui si aut subiectum aut mediũ rarius habeat, sensum nõ mouet. qualitas ergo illa quæ sonus dicitur, in materia densa per se est, vt in ligno & alijs, sicuti &

lux, & odor, & ſapor: at ſpecies eius ſi mouere ſenſum debet, medium poſcit cõtinenter denſum. dico autem denſum nõ per admiſtionem terræ, ſed vi addẽſatum, quod in aere accidit facto ictu. Inde enim facta prius diſtractione & rarefactione tum ſubita fit addenſatio partis poſt partem, more vndarũ, vnde circulationes cõflantur. quod nõ aliud eſt quàm ſucceſsiua quædam aeris addenſatio in orbẽ facta, per quam delata ſpecies a primo profecta ſenſum dimouere poteſt. Fit autem ſucceſsiua illa addenſatio in aere prioribus quidem partibus ſubito ac vi dẽſatis, ſubito etiã ſeſe rarefacientibus, ac alias ſucceſsiue dẽſantibus. qui motus eſt partiũ in toto per cõſenſum factus. Proiecta quoq; per eãdẽ rarefactionẽ

& condenſationem portãtur per aerem, partibus quidẽ, quæ ante ſunt, viam quodammodo aperientibus & propellentibus vndationẽ. ijs verò, quæ circa & à tergo, ſucceſsiuè addenſatis & rarefactis vna poſt aliam, & proiectũ vehẽtibus nõ aliter ac per vndã, celeriter autem & impetu multo. quoniam nihil celerius eſt rarefactione, quæ partium in toto fit. à principio autem ſegnior eſt motus propter reſiſtẽtiam totius aeris nondum poſiti in motu, mox factis circulationibus multis, & potente iam aere ſeſe expandere velocitas longè maior augetur, donec ſumma fiat: ad quam quũ peruentum eſt, lenteſcit ſenſim deinde motus, aere qui ante eſt primum rarefacto, ac iam condẽſatione continenter magis & ma-

gis desinēte, minorata obsistētia. atque hoc pacto tandem laxatio & solutio circulationum fit: vnde & vectio demum cessat. In bellicis autem tormentis tantus impetus accidit igne multo repente genito è fomite, qui vi conclusus rarefactionem sibi propriā quærit. si igitur obsistens potētius ipsum sit, quā ignis, extingui ignē accidit, aut etiā generari non posse. sin contra ignis post luctamē multū potētior ipse sit, tum subita atq; ea quidē ingenti rarefactione facta, aut vas rūpit, aut obiectā pilā impetu magno extrudit. q̄ mox p aerē eodē modo portatur quo & sagittę, & proiecta reliqua. q̄ omnia per cōsensū partiū in toto fiūt. nihil autē cōtra naturā patiūtur partes, cū sese aut cōdensant, aut rarefaciunt, quan-

quã aliæ aſcendãt aliæ deſcendãt quoniã ſurſum aut deorſum inclinare nõ ineſt partibus, quatenus in toto ſunt, aut mouentur: ſed illi ſolum quod totius rationem habet & per ſe eſt, atq; extra moueri vult: ſic enim aut ſurſum inclinat aut deorſum. De motione autem animalium quomodo & ipſa per hoc principium fiat, paulo poſt inquiremus.

De attractione & motu ſimilium ad ſimilia. Cap. 5.


Idetur autẽ & alia quędã plurimũ admiranda, quę inter affinia & ſimilia verſatur, ſympathia. Cõſtat enim vnũ ad aliud moueri, donec & in vnum coeãt. quod & in elementis & alijs manifeſtũ eſt, in aere quidem inter bul-

las illas quæ in aqua fiunt. Videmus enim vnam ad aliam appellere, & eo velocius, quo proximiores fiunt. Similiter autem & in igne sæpius est videre paruam flammã à maiori velocissimè trahi, in aqua autem & terra non ita promptũ est, propter eorum corporum incommoditatem. in mistis verò multis manifestissimè cernitur, vt Magnete, Electro, Adamante & alijs pluribus, præcipue autem in animalibus & plantis. De quibus omnibus nunc in vniuersum quæremus, quomodo is motus fiat, mox de mistis nonnulla seorsum dicemus. Sunt ergo qui putẽt simile moueri ad simile propter ipsam similitudinem, qua sese mutuo conseruãt. nam qua causa elementa mouentur ad loca propria, eadem & se-

parata pars ad ſuam conſimilem mouere videtur. mouentur autẽ Elementa ad loca propria, vt locẽtur illic, vniãturque ſimili, à quo conſeruantur. cur ergo & pars ad partẽ nõ moueatur vt illi vniatur ac cõſeruetur? cùm maior multò & intrinſeca magis ſit earũ ſimilitudo, quàm elementi ad locum proprium. Sed certe hoc tametſi apparentiam quandam habeat, non tamen (vt arbitror) rectè dicitur. pars enim ſeparata, neque per cognitionem neque per naturam moueri ad conſimilem poteſt, ac non cognoſcere quidem manifeſtum eſt, per naturam autem non moueri, & ſigna ſunt, & cauſæ ac ratio quæ conuincant. Primùm enim videmus ſimilia hęc moueri non in omni diſtãtia poſita, ſed certam requirere, atq;

eam quidẽ valde paruam in multis. oportet autẽ in omni diſtantia moueri, ſi per naturã & ſimilitudinem agerentur: ſimilia enim vbiq; ſimilia ſunt, & eandem naturam habẽt. quemadmodũ Elementa ad ſua ſe loca ferunt, vbicũq; poſita ſint. prętcrea & quãto maior eſt moles eius ſimilis quòd ad aliud mouetur, tãto difficilius duci cõſtat, ac ne poſſe etiã moueri, ſi maior accreuerit quantitas, quod cõtra fieri accideret ſi ꝑ naturã ſeſe ipſa mouerent. quanto enim maior eſt in ijs quãtitas, tãto facilius fit motus, ꝙ plus adſit eius naturæ & virtutis q̃ mouet. Iudicãt hæc nõ per naturã applicationẽ ſimiliũ fieri: ſed intercidere vim: quod & ratio quoque cõmõſtrat. quęrimus enim nunquid per præſentiã vnius ſimilis

vt Magnetis, natura & forma alte rius, vt ferri, mutetur ab eo quod per ſe eſt, an nõ. ac mutari quidẽ non videtur, niſi corrũpatur, nõ corrumpitur autem. ſi ergo eadẽ remanet, quę prius non pręſente Magnete, idem profecto faciet quod prius, & eandem inclinationem habebit: at prius inclinabat deorſum, ergo & nunc quoque ad idem inclinabit. quare ſi ſurſum ducatur, contra ferri naturam fiet, & vim patietur. qua de cauſa non rectè dicunt ſimilia per naturã ad ſimilia moueri. nec par eſt ſi elementa per naturã feruntur ad propria loca, vt & ſepa rata pars ad conſimilẽ per ſe mo ueri debeat. quoniã ſeparata pars iã facta eſt totum quoddã, quod per ſe propriam naturam habet ſurſum vel deorſum inclinãtem,

quæ

quę donec manet ſemper illuc in clinat. Alij dicũt alterari ferrum à magnetis ſpecie, & ita alteratũ per ſe moueri ad ipſam. Sed certè & hoc nihil eſt, & eadem quęſtio redit. nam per ſpeciem illam magnetis vel corrumpitur forma & natura ferri, vel remanet, ſi rema net & eadem eſt, cur non eãdem habeat inclinationem?

Quid igitur? defecit ne natura in hoc, vt ſi ſimilia mutuo conſer uantur, modũ non dederit quo vnũ ad aliud moueri poſsit. Non defecit quidem natura, ac modũ dedit quo ſimul cõiungi poſſent verum nõ eum quo elemẽta mouentur ad loca propria, ſed aliũ: qui quodammodo naturalis eſt, quodammodo violentus, de quo iam ſequitur vt dicamus. Quoniã igitur nulla actio fieri poteſt, niſi

nisi par contactum (vt in naturalibus demonstratur) Similia autem hæc non sese tāgunt, nec per naturam mouentur vnum ad aliud, necesse est si applicari inuicē debēt. demitti aliquid ab vno ad aliud, quod proximè tangat, & eius applicationis principium sit. hoc autē aut corpus erit, aut forma aliqua simplex materialis vel spiritualis. Antiqui quidē vt Empedocles & Epicurus, quos è nostris Lucretius secutus est, effluxiones corporū, quas athonios appellabant, principium eius attractionis ponebāt. quæ quidem effluxiones ne negandæ quidem sunt (vt mox ostēdemus) modus autem quem ipsi tradebāt, sat rudis & ineptus erat. quē quoniam tum Alexander Aphrodiēsis, tū & Galenus satis apertè reprobant

bant, à nobis prætermittetur. Verumtamē receptis Athomorum effluxionibus nos modum alium tradere posse videmur, quò attractio similium fiat. meminisse autem oportet eorum, quæ suprà dicta sunt de consensu & motu partium in toto. supposito igitur, ꝙ à rebus effluant insensibilia corpora, dicimus ab vno ad aliud similium reciprocè transmitti ea corpuscula, è quibus totū quoddam fit atque vnum, verùm disforme in partibus, neque enim quę iuxta. a. sunt & iuxta. b. eam habent rationem situs & raritatis ac densitatis, quam habent quæ in medio sunt. qua de causa partes in toto illo non debitè se habent. Sicut igitur suprà diximus in Elementis, partes consensum habere maximum,

& in toto moueri, cùm debitum non habent ſitum, & modo conſtringi modo laxari, ita & hic in ea athomorum nube ſe habere dicimus, vt partes in eo toto nunquam debitè collocentur, & pro natura cōſiſtant, donec in vnum nō coeant: motis ergo particulis illis, & ſubiecta ſimul in quibus ſunt moueri accidit, & ſimul coire. atque hoc quidē modo ſi quis dixerit attractionē ſimilium fieri nullum (vt arbitror) aſtruet incōueniens, cauſam referens ad motum partium in toto. Cuius rei & illud eſſe ſignum poteſt, ꝙ cōfricata quædam vt Succinum, & Adamas fortius ſurculos trahūt. quòd ſi cauſa hęc in omnibus aſſignari in vniuerſum poſſet, non alia profecto quærenda à nobis (vt mihi videtur) foret. Sed certè

ca.

causa hæc non omnibus esse cõ-
munis potest (vt mox dicemus).
quapropter aliud fortasse princi
pium inquirendũ videtur q̃ atho
morum, quod commune omni-
bus esse queat. atq; hoc quidem
si nõ est corpus, quod ab vno ad
aliud transmittatur, necessariò e-
erit forma simplex, & aut quali-
tas aut substantia: at certè quali-
tas nulla earũ esse potest, quę ma
teriales vocantur, nõ caliditas nõ
frigiditas, non alia (vt manifestũ
est). quare si qualitas vlla est, erit
vtiq; earum aliqua, quæ spiritua
les vocantur. quod & multi exi-
stimãt. Sed habet dubitationẽ nõ
paruam, quomodo spirituale il-
lud esse pricipiũ posit illius mo
tus. nam ꝙ ipsum alteret simile
vt ferrũ, quod alteratũ sese mox
moueat ad magnetẽ, suprà satis

improbatum fuit. quod verò spi
rituale ipsum sit illud quod per
se mouet, nõ satis rationabile vi-
detur. quoniam nihil per se me-
ueri potest quod non sit aut cor-
pus, aut saltẽ natura & substãtia
in corpe. porrò nec videtur quo-
mõ spiritualia hæc mouere pos-
sint, pręsertim trahere, quoniam
productio eorũ non cũ motu lo-
cali fit, sed per quandã magis ge-
neratione partis post partẽ mo-
mento factã. Si igitur spiritua-
les vocatæ species omnes quali-
tates quædã sunt, dicere fortasse
nullo pacto possumus per ipsas
eiusmodi attractiones fieri. Si ve
rò aliquæ illarũ substantiæ sint,
nihil (vt opinor) prohibet ad eas
rationem omnem tam miri effe-
ctus referri, q inquiratur à nobis.
Recipiẽdũ autẽ est, vt multis pla
cet

cet, ſpirituales ſpecies eiuſdē rationis eſſe cū formis illis, quarū ſunt ſpecies, nec differre ab ijs niſi mō ſubſiſtēdi. eatenus enim materiales ſunt, & dicūtur, quatenus craſſa quadā exiſtētia in materia ſunt, & certos terminos poſcūt. ingeniū autē eſt formis omnibus ſeſe (quo magis poſſunt) ꝓpagare. quod quidē faciūt craſſæ illæ formæ, quæ materiales vocantur; verum propagare ſeſe per eū modum, & exiſtētiam qua ipſæ ſunt, non vtique poſſunt. ſed tenuem & ſuperficialem ſui vel partē vel gradum producunt, quem Epipolim vocant. qui ob tenuitatem ſui, & contrarium non habet, & momento gignitur, ac progagatur ceu ſoboles quædā. hæ igitur tenues & ſuperficiales formæ aptæ imprimis ſunt id

quod ſunt repreſentare, vſq; ad craſſas illas à quibus productæ ſunt. propter quod ſimulacra earũ & ſpecies ſunt appellatæ. propter tenuitatẽ autẽ, & quòd momento gignuntur ſpirituales dici conſueuere: eiuſdem tamen rationis cũ ijs, quæ & craſſæ & materiales dicuntur Si igitur qualitates primę, ſubſtantiæ ſunt elementorũ, vt multi Ariſtoteli attribuunt, aut etiam ſi ſubſtantiæ non ſint, ſed tamen quantum de ijs inducitur, tantũdem & de ſubſtantia ſubgeneratur, vt Auerroi placet, aut vniuerſaliter ſi ſubſtãtiæ ſpecies ſpirituales habent, & ipſæ: viam fortaſſe habere poſſumus ad oſtẽdendũ, quo pacto ſimilium cõtractio & vnio a ſubſtantia fiat per ſpiritualẽ ſpeciẽ.

Quippe delato ſpirituali ab.a. ad

ad.b.& reciprocè,à.b.ad.a.quod eiuſdem rationis ſit cum.a.&.b. & ſubſtãtia quẽadmodũ ipſa, totum quoddã fit ex.a.&.b.& ſpirituali illo, in quo toto partes nõ planè debitum eſſe, & ſitum habent, niſi inuicem ita aſtringãtur vt ſimul &.a.&.b.coeãt.ſic enim totum illud bene habet, & ſecundum naturam coexiſtit: nõ ſecus ac ſi aer aliquis valde diſtractus ad ſeſe redeat, & partes quæ longius aberant in vnum cogat & vniat.qui motus tandem eſt partium in toto ſeſe ad ſuũ ſitũ mouentium à forma factus, quæ natura & ſubſtãtia eſt.eſt ergo partim quidem naturalis (quoniam motus omnis partiũ in toto à natura fit) & a forma illa, quę in eo toto natura eſt, partim verò & violentus eſt, ſi ferro comparetur

& extremis ipsis, quę per se & vt
grauia inclinationē deorsum ha
bēt, quod & aeri etiam rarefacto
& distracto accidit, altero extre-
mo quod sursum est descēdente
per motum partiū in toto. quod
non incōuenit parti, dū pars est,
vt in toto certo modo moueatur,
quo nō moueretur si per se esset,
& vt totū. qua de causa partim
violētus est motus ille extremis
partibus, quoniam naturam pro
priam seruant qua vel graues vel
leues sunt, partim autem est natu
ralis, quoniam in toto mouētur
& non per se. ad quæ si quis respi
ciat non alienum fortasse & velu
ti paradoxum quoddam existi-
mabit, quod Alexander dixit at
tractionem omnē à calore esse.
si enim qualitates primæ, substā
tiæ sint elementorum, producant
au

autem ſpecies ſpirituales eiuſdē rationis, quæ longe productæ ad ſua ſimilia per dictum modū poſ ſint applicationem eorū facere. calori quidem maximè & præci pue debebitur ea facultas. Latet autem nos caliditas illa, quoniã ſpirituales ſpecies ſenſibilē actio nē non habent in alterando, quã quam in mouendo vim non exi guã prodant. atque hæc quidem ſunt quæ probabiliter de tanto problemate nobis dicenda vi- ſa ſunt, ad quæ credēda & ea nos induxerunt, quæ Galenus & alij dicunt, quum eiuſmodi effectus à tota interdum rerum ſubſtan- tia fieri dicũt, interdum à ſimili- tudine. quæ apud me non aliter ĩtelligi poſſe vidētur, niſi p dictū modū. p ſimilitudinē enim à Ga leno intelligi ſimplicē relationē,

aut relationis fundamẽtum, ego nunquam existimare potui, quũ hæc per se principiũ motus illius esse non possint, neq; enim relatio, neq; fundamentum non tangens mouere valent. sed per similitudinem ego arbitror speciem spiritualẽ accipiendam esse, quæ tãgit. per totam autem naturam audienda est forma, quæ sui speciem propagans, & ad consimile copulans mouere possit. vtrũ autem mouere per dictum modum qui sit motus partiũ in toto Galenus existimauerit an per aliũ, incertum est mihi. Sicut autẽ inter similia mutua versatur attractio, ita & inter dissimilia, & cõtraria versari propulsationẽ quãdam mutuam consentaneum est credere. quod quoniam in mistis manifestum est magis, infrà certius

tius oſtendetur, nunc ad reliquos elementorum cõſenſus & diſſenſus pertranſeamus.

De conſenſu & diſſenſu elementorũ circa qualitates cõtrarias. Cap. 6.

EſT autem & alia magnopere admiranda elementorũ Sympathia & Antipathia circa eas qualitates, quæ contrariæ inter ſe ſunt. vt caliditas frigiditas, humiditas, & ſiccitas. nam has quidem cõtrarias eſſe, & ſeſe mutuo deſtruere atque interimere manifeſtum eſt. at verò quis non miretur, quũ nihilominus videamus certos vníus cõtrarij gradus ſtare, ac quodãmodo congaudere cũ certis alterius: quoſdam verò cum quibuſdam non poſſe conſiſtere. quaſi caliditas ſpecie tota & natura cõtra-

ria nõ ſit frigiditati: ſed certis gradibus ſolũ, quod quomodo ſe habeat, inquirendũ. Quoniã igitur gradus certos & quandã intenſionẽ habẽt hæ qualitates, quos gradus phyloſophi vſque ad octo ꝑ quandam eſtimationẽ producũt doctrinę gratia, manifeſtũ quòd ſummus ille gradus, qui vt octo dicitur, cum nullo gradu ſui cõtrarij ſtare & conuenire põt, ſed omnibus aduerſatur. at verò ille, qui, vt ſeptem eſt, eam nõ habet contrarietatẽ, vt omnibus aduerſetur, ſed ijs ſolum repugnat, qui ſupra vnum ſunt. cum vno autẽ & ſtat & concordat. qui verò vt ſex dicitur, cum duobus conſentit, reliquis contrariatur, qui ſupra duos ſunt. quinq; verò cum tribus cõcordat, ijs diſſentit qui ſuprà ſunt. quatuor porrò cum

qua-

quatuor conuenit, reliquos qui suprà sunt nō admittit. quare cō trariæ quidē sunt qualitates, sed non ita vt quilibet gradus cuilibet aduersetur, sed certi certis tantummodo. quod natura quidem ita constituit vt mista fieri & conflari possent. Fortasse autem nec fieri potest, vt gradus vno aut pluribus vnius contrarij inductis in alio, tolli amplius ab eodem & destrui possint, vt si.a. calidum in.b. frigidum gradum vnum caliditatis induxit, fieri non potest vt .b. gradum illum rursus destruat, & à se repellat, ne cum septem suæ frigiditatis consistat, quoniam nihil in se ipsum agit, neque simpliciter, neque quatenus frigidum, in se quatenus calidum per vnum gradum. Si enim ageret, ageret quidem in-

du-

ducendo frigiditatem aliquam. aut ergo inducet quam habet iã, aut quã nõ habet, at ea quã habet ꝓduci quidẽ nõ põt vt pote quæ iam habetur, minus verò ea quã non habet, & iam amisit, quoniã per illã actu nõ est, nec est a quo fiat relinquitur igitur vt gradus ille vnus caliditatis in. b. cũ septẽ frigiditatis stet & cõueniat, similiter & de alijs dicatur. Sed habet difficultatem quomõ primus ille gradus ab. a. producatur in. b. & post ipsum alij, & quomodo cũ actione simul & reactio fieri possit. tangẽtibus enim sese. a. & . b. Si quidẽ potentius est. a. quomodo patitur? si verò impotentius quomõ agit? si æquè potens, quo modo aut actio aut passio fit? quod igitur quisq; hac in re dicat, nostrum institutum nõ est nunc re-
censere

censere, quid autem rationabiliter existimemus nos, in medium breui afferemus, quædam declarationis gratia præmittētes. Primum quidē quòd in actione cōtrariorum consideranda est potētia, per quam fit actio, qualis sit & quanta, deinde illud quod inducitur, ac demum in quod propriè agunt. ac potētia quidē semper mensuratur per gradus illos, secundum quos est contrarietas. quoniā enim graduū quidā quibusdā contrarij sunt, quibusdam non, vniuersaliter nulla actio fit inter eos qui contrarij non sunt, nec ab ijs potētia resultat, sed ab ijs solū qui cōtrarij inter se sunt. Illud verò quod inducitur semp est remissißimus gradus incipiēdo ab vno, vel forte à medio aut minori, ascendendo versus summū.

mum. Cõtra verò illud in quod fit actio, semper est intensior gradus, descendẽdo à summo ad minimum. Ex his fit, vt tangentibus se.a.&.b.siue æqualia sint, siue alterum potentius, semper alterum in alterum reciprocè necessariò agant:& si enim.b. simpliciter impotentius sit, frigefaciet tamen.a.& necessariò gradũ vnum primo inducet, mox & duos & ita alios consequenter. quoniã id in quod propriè agit, est gradus summus, vt octo ipsius a.calidi, ad quem.b. contrarietatem habet per omnes sui gradus. aget igitur per potentiam resultantem ex omnibus gradibus, quod autẽ inducit, est gradus vt vnum frigiditatis, ad quẽ.a.contrarietatem non habet, nisi ꝑ gradum vnũ qui est vt octo. ꝑ septẽ enim

enim nō cōtrariatur. Siqdē vnus frigiditatis gradus cū ſeptē caliditatis ſtat, & cōtrarietatē nō habet. potētia igitur ꝑ quā .a. agere poteſt in gradū illū vt vnū frigiditatis qui inducitur, nō reſultat ex omnibus, ſed ex vno solùm, quare reſiſtat .a. per ſolum gradū vnum. quum ergo .b. per omnes ſuos gradus agat .a. autē ꝑ vnū tātū reſiſtat gradui vni qui inducitur, fiet quidem vt neceſſario primus ille gradus inducatur, nec obſtabit pars nō paſſa, quoniā & ipſa ꝑ gradū vnū ſolū aget, ꝑ ſeptē enim nō cōtrariatur. at verò ſecundus pariter inducetur eadē ratione, quod .b. aget in gradū vt ſeptem ipſius .a. cui per ſeptē ſui gradus contrariatur .a. autem in gradum vt duo qui .a. b. inducitur, non aget niſi per vnum gra-

dum

dum, hoc eſt per illum qui eſt vt ſeptem, quoniam duo frigiditatis gradus cū ſex caliditatis ſtāt, & cum ijs contrarietatem nō habent. reſiſtet igitur. a. per vnū ſolum gradum. b. autem per ſeptē aget, quare neceſſario & ſecūdū producet gradum, & cōſimiliter tertium, & ita deinceps: quoniā ſemper maior eſt potentia ꝑ quā agit, quàm ea per quā reſiſtitur gradibus qui introducūtur, quæ ſemper nō niſi per vnum eſt aut forte per minus, & minus in infinitum. Idem dicatur & de. a. reſpectu. b. nam quum. a. agat primo in gradum ſummū. b. cui cōtrariatur per omnes ſuos gradus, inducatq; gradum vnum caliditatis, cui. b. non reſiſtit niſi ꝑ gradum vnum qui eſt vt octo, per ſeptem enim nō contrariatur, neceſ-

cessariò quidem fit vt.a.primum caliditatis gradum introducat in b.mox& secundum & alios eadē ratione, quo pacto tandem fit, vt & actio fiat & reactio inter cōtraria, quod non sine fine quodā magno à natura institutum est, quò mista conflari possint, alia quidē inanimata terræ metalla, lapides, & id genus, alia animata, plantæ & animalia, & ipse demū homo, de quorū mistorum Sympathijs superest iam vt dicamus.

De Sympathijs & Antipathijs mistorū, & attractione similium. Cap. 7.

HAbent ergo & mista ipsa sympathias suas, & antipathias & quidem admirandas. atq; in primis eas habēt, quas habere Elemēta dictum est, imo insigniùs propter dēsitatem materiæ. Sicut enim ignis & aer

elementa non lucent, non soñāt, nec calefaciunt, nec odorē aut saporem edunt, nisi addēsentur, ita nec alias virtutes ita exquisitè ostendunt, vti quum per mistionē sunt condēsata. Igitur & commu nem vniuersi consensum loci & nexus in primis habent mista, tū verò & eum qui est partium in toto. Cōstat enim si vi fuerint addēsata sese rarefacere, si rarefacta dēsare. at verò & ad loca elementorum in ijs prędominantium mouētur, ac postremò similia quoq; & affinia ad sese trahunt, quod in quibusdā admirationem nō paruā prębet, vt in magnete, electro, adamante & plantis, & animalibus. quāquam particulares quasdam dubitationes habeant consensus isti. nam si per similitudinem (vt suprà diximus) fit hæc at

tractio, cur magnes non potius magnetem trahit quàm ferrū? & ferrum cur non potius ad ferrum mouetur quàm ad magnetem? quæ nam affinitas est pilorum & surculorum cum Electro & Adamante? præsertim quòd si cum Electro affines sunt, quomodo & cum Adamante affinitatem habebunt, quid dissimilis electro est? at verò & illud dubium est, vtrum omnia similia trahant, vt lapis lapidem, & caro carnem & reliqua, de quibus nihil constat. deinde & quæ non sit illa similitudo, vtrum specie an genere, an in accidente aliquo sit. sunt qui dicant similia esse oportere, sed non eadem, propinqua autem. ac propterea simile moueri ad aliud à quo perficitur magis, quod suprà satis est improbatū. Si enim

natura graue eſt, donec natura illa remanet, ſemper deorſum inclinabit. videtur igitur mihi ſimilia eſſe oportere & eadē ſpecie, quæ ſeſe mutuo trahunt. dico autē eadem ſpecie, aut actu, aut proprio ſubiecto. voco propriū ſubiectū id à quo emittitur ſpirituale illud quod trahit. quod ſæpe in miſtis latet propter miſtionis difformitatem, per quam ſæpe aliud actu ſunt, aliud potentia. pili igitur & ſurculi ad Electrū fortaſse, & ad Adamantem trahuntur, non quà pili ſunt, ſed quà aut aer in ipſis incluſus eſt, aut principiū aliud, quod primò trahitur, & rationē analogiamq́; habet cum eo quod per ſe trahit, in quo & Adamas, & Electrum cōueniunt per principium vtrique commune. quapropter & Magnes, & alia multa

non trahunt fortaſſe, per id quod actu ſunt, ſed per latens aliud in ipſis principium, quod ſimile ferro eſt aut ipſi, aut principio in eo. Simile autem omne trahere ſuũ ſimile ſi analogum ſit, & potẽtiã habeat, conſentaneum eſt credere, quoniam ita in elemẽtis apparet, & eadem eſt omnium ratio & finis. Interdum autem ſpirituale illud, quod trahendi principium eſt, validiſsimum eſt, interdũ debile, ſicuti & principiũ & forma aqua demittitur. propter quod alia ſimilium valenter ſeſe inuicẽ applicant, alia ſegniter & impotẽter, per ſe autem, debere ſe omnia ita habere, non ſolũ ratio eſt, quę omnibus eſt cõmunis, ſed & experiẽtia apparet. Nos eñ p̃ſentibus multis è noſtris medicis experiẽtiam multorum fecimus, perpen

diculo bene & concinnè aptato, quale eſt in nauigatoria pyxide. ac manifeſtè vidimus, magnetem trahere magnetẽ, ferrum ferrũ, ferrum magnetem trahere ferrũ, ferrum magnetem. porrò electrum parua electri fruſtula rapere, argẽtum attrahere argentum, & quod valdè mirati fuimus magnetẽ vidimus argentum trahere. itẽ Electrum non ſolùm ſurculos & paleas mouere ad ſe, ſed & argentũ. vidimus quoque idem fruſtũ magnetis per vnam faciem magnetẽ trahere non ferrum, per aliã ferrum non magnetem, per aliam vtrunque. quod indiciũ eſt in vna parte plus eſſe magnetis, in alia plus ferri, in alia vtrunque æqualiter, vnde fiat diuerſitas illa tractionis. quare nemini dubium eſſe debet, ſimilia omnia per ſe, ſe


inuicem trahere, nisi per acccidēs impediantur.

Nunc & de motu illo quæramus quo perpendiculum illud tē perati magnete ferri ad eas partes conuertitur, quæ ad polos spectant. qui ad similium quoque at tractioem, reducendus videtur. quanquàm sint qui non trahi vllo modo perpēdiculum illud putēt, sed cœli vertigine omnia per turbante, sese ita constituere, vt quiescat magis quo potest. talis autem est linea quæ ad polos spectat. alij existimant ferrum illud sese ad eas stellas conuertere, quę in polis sunt, nō aliter quàm herbæ quædam ad solem vt heliotropion Tragopogū, & Ornithogalum, quorum neutrum rationabiliter dicitur. ꝑturbari enim à cœli vertigine omnia, falsū est, quā-

do illa huc non pertingit, & mul
ta quiescere hic videntur. ꝙ si cau
sa illa ad perpendiculum faceret,
vtiq; & sine temperamẽto magne
tis ad eum situm sese conuerteret.
à stellis autem nulla attractio fie-
ri potest, nisi quæ à calore per ac-
cidens fit, calefactis quibusdam,
quę mox per naturã sursum tol-
lantur, aut fortè circumaguntur
cũ sole, vaporibus qui in vna par
te facti sunt, & successiuè de vna
in aliam fiunt, recipiẽtibus impe-
tum successiuũ, & in orbem, sicu
ti principium à quo generãtur in
orbem fertur, vnde accidit quos-
dã teneros flores & folia propter
humiditatem circũuerti cum so-
le, hæc autem ad perpendiculum
in nauigatoria pixide, nullam ha
bent attinẽtiam. Cõstat præterea
perpẽdiculũ illud declinare, quæ
ad


ad polos ſpectat, in noſtro quidē hemiſperio, quod eſt à fortunatis inſulis ad Catygaram, declinare dextrorſum per gradus circiter nouē, in alio autē hemiſperio, vltra inſulas fortunatas, declinare ſiniſtrorsū, & modo plus, modo minus. obſeruāt enim qui ad nouū orbē nauigāt, cùm peruētum eſt ad meridianū quod per Aſtores vocatas inſulas trāſit, mutari perpēdiculū & cùm in noſtro mari dextrorſum flectat à polo, illic ſiniſtrorſum verti, vt ſi polus arcticus ſit. b. perpendiculū in noſtro mari vbi.c. in alio autē mari vbi.d. declinabit quidē in noſtro mari.a.b. polo per lineam.c.g. in alio per lineam.d.e. Nec igitur diligentius rem conſiderantes dicimus cauſam, quòd perpendiculū illud ad polum vertatur, eſſe mō-

tes ferri & magnetis, qui ſub polo ſunt, vt negotiatores affirmãt quorũ ſpecies per in-



credibilem diſtãtiam vſq; ad maria noſtra propagata ad perpẽdiculum vſq;, vbi eſt magnes, conſuetam attractionẽ facit. propter diſtantiam autem quum debilis ſit, non moueret quidẽ magnetẽ, niſi eſſet in perpẽdiculo, quare & ſi non trahit vſq; ad principiũ vnde efluxit, at mouet tamen, & propinquiorem facit quo poteſt: ꝙ ſi naues fortè vllæ propinquiores ſint illis montibus, ferrum omne earũ euellitur, propter quod nauigijs incolę vtũtur clauis ligneis aſtrictis. propter ſitum igitur eorum montium declinat perpendiculũ in noſtro mari dextrorſum, in alio ſiniſtrorſum à polo. Polus

b.mõtes magnetis vbi e.h. perpẽ
diculum in noſtro mari, vbi.c. in
alio vbi.g. in noſtro igitur mari
declinabit à polo per
lineã. c. b. in alio per
lineam g.e. Attractio
autem hęc ad Atho-
mos & corpuſcula reduci poſſe
nõ videtur, quoniam corpus nul
lum in tanta diſtantia demitti po
teſt, quod vnum continuum face
re poſsit ab ijs montibus vſq; ad
noſtra maria, ſpeciem autem ſpi-
ritualem nihil demitti prohibet,
quod & in lumine manifeſtum
eſt, cuius ſpeciem à ſupremo or-
be & ſtellis huc vſque demitti cõ-
ſtat, qua de cauſa attractiones ſi-
milium ad corpora vniuerſaliter
reduci poſſe, ſuprà non arbitrati
ſumus.



De

De Echeneide quomodo firmare naui gia poſsit. Cap. 8.


Aius miraculum prębet Echeneis piſcis, ſi modo verum eſt, quod fertur, aut firmare nauigia, aut tardare. Cauſa ſi qua eſt, nõ alia certè eſſe poteſt, q̃ partim attractio per ſpe cies p̃dictas facta, partim vacuũ. modus autem eſt duplex, vnus, vt piſcis ille non cauſa ſit eius re-tentionis, ſed ſignũ alterius quod retinet, alius, vt etiã cauſa ſit. pri-mũ igitur nihil prohibet ſaxa & ſcopulos vbi Echeneides degunt conſimilem ſpeciem vſq; ad naui gia mittere, qualem & montes & magnetis ad ferrum in nauigijs fi xum. ſicut igitur ſi ferrũ fortiter & tenaciſsimè nauigio infixũ eſ-ſet, ita vt nec extrahi poſſet, non attraheretur quidem nauigiũ ad

monte

mõtes illos, ſed firmaretur tamẽ, ita & circa ſcopulos Echeneidum accidit trãſmiſſa ad naues ſpecie, quę vel ad clauos earum vel ad aliud analoga ſit, retineri ipſas. quare inuentus illic piſciculus ille, ſignũ dat ſubeſſe ſcopulos eos qui firmare nauigium poſsint. Si verò non ſignũ eſt Echeneis, ſed cauſa eius detẽtionis, oportet exiſtimare ipſam primò arctiſsimè affigi nauigio, vt euelli non inde poſsit, niſi vi multa, ab ipſa verò ad certos ſcopulos & ab ijs ad ipsã mutuo demitti vel ſpeciẽ vel etiã corpuſcula more torpedinis, quę conſuetam tentent attractionem ſimilium, nec ipſa igitur nauis at trahi in fundum poteſt propter reſiſtentiam ſui, nec ab ipſa auelli Echeneis propter fortem affixionem ob vacuũ, vnde ſit vt firmetur

tur tantum nauis, aut tardetur ſal
tem. quo pacto fieri poſſet vt fer-
ri fructum in aere, pēdere quidē
ſed nec ſurſum nec deorſum mo-
ueri poſſet, quod quidem contin
geret ſi deſuper magnes ponere-
tur, qui tātum trahere ſurſum fer
rum, quantū ipſum deorſum in-
clinat, æquali potentia poſſet: ſic
enim in aere firmaretur ferrum.
quum enim potentia quæ deor-
ſum mouet, certa ſit, certa itē quę
ſurſum trahit, fieri poteſt vt mo-
do altera potētior ſit, modo vtra-
q; æqualis. æquales igitur ſi ſint,
pēdere in aere ferrū neceſſe eſt, ni
hil ergo prohibet & nauigium tā
tū reſiſtere ne deorſum trahatur,
quātū ſpecies ipſa in contrarium
trahere nititur, quare firmari ne-
ceſſe eſt. nec plura quidē dici aut
inquiri debent de tam abdita re.

De Antipathia contrariorum, & quomodo ſe mutuo pellant. Cap. 9.



Icut autẽ ſeſe ſimilia trahunt propter cõſeruatio nem, ita diſsimilia & contraria propter eundem finem ſeſe mutuo pellunt, & fugãt. quod in antipariſtaſi multorum patet, in plantis autem & animalibus manifeſtiſsimum eſt. quæ vti affinia & familiaria attrahunt, ita extranea & incommoda à ſe abdicant. ob quam cauſam & candelæ flamma iuxta poſito aliquo valdè frigido, vt ferro & ſimilibus, in latus abſcedit. eſt & magnetis genus quod ferrum abigit ex quo cultelli ita præparari ſolẽt, vt alter ferrum ad ſeſe trahat, alter pellat. quãquam nos quum hoc experimentũ in mediũ olim inductum eſſet, mõſtrauimus nõ

id accidere, ꝙ ferrum abigeretur, quãuis perpẽdiculũ in latere vbi erat magnes, pelli videretur, causam autẽ esse, ꝙ magnes ille eorũ esset qui magis ferrũ q̇ magnetẽ trahit. applicitus ergo perpẽdiculo trahebat latus in quo magnes non erat cõmistus, ex quo fiebat vt latus alterũ magnete temperatũ necessariò abscederet, propter quod videbatur pelli ab applicito magnete. Verũ nihil prohibet etiã talẽ inueniri magnetẽ, qui ferrum pellat, propter latens in eo principiũ, quod ferro cõtrarium sit. Eadem de causa & cucumis recuruatur supposito oleo, quoniã aquę multũ continet, p̃sertim dũ in incremẽto est, aquę aũt & oleo nõ parua discordia est, & naturæ cõtrariæ. cùm igitur p̄ cõtrarias species alterũ ab altero abscedat,
cremen

cremētum cucuberis in latus fit, vnde recuruari videtur. Adiãton porrò nō madeſcit, neq; aquā admittit propter ſiccitatē ſupficiei, quæ aquæ cōtraria eſt, & eā ſolet repellere, queēadmodū in puluere & pennis & alijs ſiccis contingit: in quibus nō conſiſtit aqua, ſed aut elabitur, aut in guttulas rotundatur. rotūdatur autē quoniā duobus modis aqua ſitū naturalē exquirit. vno modo motu elemēti deſcēdendo ad locū proprium quādo pōt. poteſt autē quū ſup aliquo plano ſtatuitur, quod cōtrariū nō ſit, & deſcenſum eius non impediat, vt ferrū & lapides & id genus, ſuper quibus coextēditur, & deſcendit aquæ quantū pōt. alius modus eſt, quū nō totū extrà mouetur, ſed partes in toto, quęrētes cōuenientiſsimū ſitum.

tum. quod tũ fit, quum incidit in subiectũ, quod ꝓpellit vndiq; partes. quod faciũt multa ſiccorũ ꝑ cõtrariã ſpeciẽ. propter quod nõ motus elemẽti fit ad locũ ſuum, ſed partiũ in toto ſeſe aptè locantiũ, quãtum expedit & bene eſt, talis autẽ ſitus eſt, quũ partes cõtrariũ tangunt ſecundũ minimũ quo poſsint, & quo magis vnitæ ſunt & propinquæ inuicem. quæ omnia maximè præſtat orbicularis figura, quæ & in puncto tãgit & breuiſsimas habet ad centrũ lineas. propter quod aqua in ſicca incidẽs rotũdatur. Signũ autẽ ꝙ in Adianto nõ cõſiſtat aqua propter ſiccitatẽ, id eſt ꝙ duabus exiſtẽtibus Adianti ſpeciebus albo & nigro, nigrũ qdẽ madeſcit, ꝙ humidioris ſuꝑficiei ſit, albũ autẽ nõ, ꝙ ſiccioris. ad has cauſas &

læ-

lætalis Cathablephæ aſpectus eſt reducẽdus, qppè ſpũalis ſpecies q̃ ab ipſa ad diſtatiã multã ꝓten ditur ob contrarietatẽ & antipathiã quã cum ſpiritibus hominis habet, eos diuoluit ac fugat, vnde & homo perit.

Cur calx & pannus & alia multa ſicca exiſtentia aquam promptiſsimè admittant. Cap. 10.

SEd qui fit, vt ſi q̃ ſicca sũt, repellãt ob ſiccitatẽ aquã, calx tamẽ & pãnus & linea & farina & ſpõgiæ & oſſa & terrarũ genera, vt ſphragis, & bolus armenus, & eiuſmodi ſicca exiſtentia omnia, aquã & liqdũ omne prõptiſsimè admittãt? qnimò quod vnũ eſt, videmus in ſpõgijs & lineis aquã quaſi trahatur, ſurſum etiam aſcendere, in calcem verò adeò intimè ingredi & penetra-

re, vt eã diſſoluat. An ſicca fora minulenta, & (vt dicunt) poroſa ſunt omnia: ſed alia poros habẽt tenues & anguſtos, alia habẽt laxos magis & bene coniunctos. quæ igitur anguſtos habent ſicca exiſtentia aquã nõ admittunt. nã neq; quatenus poroſa ſunt, neq; quatenus ſicca recipiunt. quæ verò laxiores habent poros, quamquam ob ſiccitatem quodãmodo obſiſtãt aquę, quatenus tamẽ poroſa admittunt. in ijs enim tangẽte aqua abſcidit è foraminibus aer, qui in ijs clauditur, cuius loco ſuccedit propter vacuũ aqua, propter quod & aſcendit etiam. quòd ſi bene coniuncti ſint pori, penitiſsimè penetrat aqua & ad particulas omnes, quãuis minimas. quapropter, quod calx & diſſoluitur, & incaleſcit, diſſolui

tur

tur qdẽ, quoniã penetrante aqua ad partes omnes remollescit earũ nexus, propter humiditatẽ vnde & separari accidit. incalescit verò facta separatione, igneis particulis quæ prius dispersæ & diuisæ fuerant & quodãmodo in potentia, nunc actu factis atq; vnitis & potẽtibus agere iam. quapropter tũ Calx ipsa tũ & aqua incalescũt & feruẽt. Sed rursus difficultatẽ nõ minorẽ habet, cur fiat vt tangente aqua aer foraminibus abscedat, nunquid ipse per se abit? an propulsatur ab alio? & si propulsatur, quomodo & à quo propulsatur? Sunt qui dicãt propulsari aerẽ, ꝙ densetur ab aqua, atq; in angustius cogatur: cuius loco ipsa mox succedat. Sed quo modo fit hoc, quũ dẽsari nõ possit aer nisi à frigido, imbibatur

autẽ aqua in porosa, non solùm que frigida est, sed & que calida, imò hæc magis & citius. Condẽsatio præterea certũ terminũ habet, vltra quẽ nõ procedit, at motus eius aeris, qui abscedit, terminũ nullũ habet, donec abscesserit totus. Alij putant propelli aerẽ ab aqua ob pondus aquę, quoniã spõgiosum ipsum in quo est aer, in aqua aliquatenus immergitur & partes aliquas aquę habet, quę aliquibus aeris superstẽt. descendentibus ergo ijs, quæ superstãt, aerem inde propelli accidit. Sed & hoc nõ planè satisfacit. & si eñ quantũ superstat aquæ descendere posit, & aerẽ qui subsidet propulsare, quũ tamẽ ventum est ad lineã illã, per quã nõ amplius superstat aqua, q̄d erit mox quod rursus propellere aerem posit?

neq; enim dicendũ eſt aerem pri
mò propulſatum aliũ pellere, &
hunc aliũ, & ita ſucceſsiuè, quo-
niã, quũ totus aer ille cõcluſus à
primo per partẽ poſt partẽ tantũ
abſceſsit, quantũ eſt locus, quem
aqua occupauit, tum nõ vltra im
pulſio fit partiũ aeris, ſed ceſſat.
oportet ergo aliud aſsignare qđ
pellat cõtinenter aerẽ donec ab-
ſcedat totus. Vtrũ igitur aqua
nõ denſatione, nõ pondere pro-
pellat aerem, ſed per ſpecies con-
trarias, vt ſuprà dictum eſt, cõtra
ria & diſsimilia ſeſe mutuo pelle
re. diſsimilis autẽ & extraneę na
turæ eſt aqua & q̃ aquea ſunt, cũ
aere: quare tangẽs, vicinas ſibi ꝓ
pulſat partes, qđ vel facillimè fit
propter tenuitatẽ aeris, q̧ prõptiſ
ſimè ĩpulsũ oẽm recipit. ſuccedẽ
te igitur aqua, ac ꝑmanẽte ſemꝑ

diſsimilitudine eadem, continua fit propulſatio & cõtinua ſucceſ ſio aquæ, ac demum fuga totius aeris in foraminibus clauſi. atq; hoc quidẽ ſi quis dicat, inconueniens(vt arbitror) nullũ aſtruet.


Audiendi tamen & illi ſunt, qui non propulſationẽ per ſevllã aeris fieri dicunt, ſed attractionẽ magis humidi, quo attracto neceſſe eſt cædere qui in poris continetur aer, attrahere autẽ poroſa humidum non quatenus poroſa(licet viæ requirantur) ſed quatenus exſiccata & priuata naturali humido. Duo enim ſiccorũ genera ſtatuẽda ſunt, alia nãq; per ſe & per naturã ſicca ſunt. ac talia quidẽ attrahere humidũ nõ poſſunt, ſed propellere magis habẽt, quoniã attractio omnis à ſimili fit. alia verò ſunt quæ per ſe qdẽ & natu

& natura humida ſunt, per accidens autem ſunt exſiccata, remanet tamẽ in ijs forma ſua & natura cũ virtutibus omnibus, quas à principio ſortita eſt, inter quas eſt, & ſpiritualis ſpecies, quæ attrahere nata eſt quod ſimile eſt, ſimile dico nõ quatenus tale per accidens actu eſt illud, cuius eſt ſpecies, ſed quatenus per naturã & per ſe tale eſt. quę igitur poroſa ſunt, maxima pars exſiccata p accidens ſunt, per ſe aũtẽ in humore cõſtituta. propter quod & poroſa ſunt facta extracto humido, cuius appetentiã ſemper habent, & facultatẽ attrahẽdi, quod in ſiti manifeſtũ eſt. tangente igitur aqua nihil mirũ, ſi à poroſo exſiccato & carente naturali humido, trahitur ad partes omnes quod contangit humidũ, ac talia

ſunt, calx, ſpongiæ, linea & terrã rum genera. Adianton autẽ & pẽ næ & id genus, non ſolũ ꝙ angu- ſtos poros habeãt, ſed fortaſſe ꝙ ſicca per ſe ſint, aquã non admit- tunt. Nõ tacebimus poſtremò & cauſam aliã, quę adduci poteſt ad hoc problema: dicẽtes rationẽ eius rei nõ eſſe propulſationẽ vl- lã, nõ eſſe attractionẽ quæ à ſicco fiat, ſed eſſe motũ aeris illius, qui in foraminibus clauditur, qui ſe- ſe naturaliter mouet à loco, vbi præter naturã tenebatur, vt cũ to to ſuo vniatur, ac coextẽdatur ſe cundũ naturã. quippè Elemẽto- rũ partes nunquã naturaliter lo- cantur, niſi toti ſpheræ aeris ita coextendãtur, vt nulla earũ exer ta ſit, & abſcedat à toto, ſed oẽs ęqualiter in eo cõſiſtãt. qua è cau ſa fit, vt aer ꝗ in foraminibus ſic-

corũ

corũ cõditur, tã & ſi toti cõtinuetur per vnũ extremũ, nõ tamẽ illic ſecundũ naturã conſiſtat, ſed violenter. vt ſi aeris totius ſuperficies ſit.a.b.c.porus verò ĩ quo aeris pars cõcluditur.b. f. aqua tangens vbi.f. violẽter quidẽ tenetur aer in b.f.cuius ſignũ eſt, quòd ſi dirumpatur porus, aer quidem qui in eo erat ad ſuperficiem totius .a.b.c. ferretur, coextendetúrque illi, atque ita vnietur, vt æqualiter ſecundum partes omnes in eo locetur, & totum vnum faciat æquale vndique. Indicat hoc non contineri ſecundum naturam partes aeris in poris clauſi. Permanent tamen in illis, nec abeũt dum poroſum eſt in regione & ſphæra aeris.



Si

Si enim inde dimoueretur, necesſariò aliqd aliud ſuccedere oporteret, quod certè aer eſſet. cur igitur ſuccedat hic, ille abeat, quum nulla ratio magis huius ſit quàm illius, præſertim ꝙ ſi hic ſuccederet, & ipſe qdē pari ratione violēter detineretur in poris, ſi igitur & ille diſcedat, aliū ſuccedere neceſſe eſt, qui pariter ſi diſcedat, alius ſuccedat oportet, & ita in infinitū. neceſſe igitur eſt primum aerē quē caſus ab initio illic concluſit, illic etiā permanere, dū poroſum in ſphæra aeris cõtinetur, at vbi fiat vt poroſum non iam vndiq; in ſphæra aeris ſit, ſed aut in aqua totum ponatur, aut aqua ſaltē per aliquod extremū tãgat, tum qui in foraminibus eſt aer, extrà ſtatim fertur & mouetur ad locū totius, cui ſuccedit aqua.

quæ

quæ quidẽ violẽtiã aliquã & ipſa
patitur, propter eandem cauſam
quòd & ipſa à toto ſuo abſcedit,
verũ minus violẽter tenetur illa
in eo poroſo q̃ aer, propter cõue-
nientiã naturæ, quę in vtroq; gra
uis eſt & quandã habet analogiã.
eſt autẽ & alia ratio, cur aqua ſuc
cedere debeat, & ſurſum trahi,
quoniã id quod trahit & mouet,
eſt aer totus qui in poris conclu-
ſus receſſum quærit, quod verò
mouetur, eſt pars aquæ minima
quæ in poros paruos trahitur, &
parũ reſiſtit propter paruitatem,
cui idẽ accidit quod trocleis per
helices fabrefactis, quũ per illas
pondus vel maximũ eleuamus,
ꝙ ſenſim & in latus eleuatio illa
fiat. Signũ autẽ ꝙ aqua cõſimili-
ter attracta facilè ſequatur, illud
eſt, quòd ſi porus ſit valde latus,
qualis

qualis eſt fiſtula, non ſuccedit aqua, nec aer qui in ea eſt fiſtula, abſcedit: in paruis autē & obliqs poris abſcedit. aut igitur hæc eſt cauſa ingreſſus aquę in ea quę porosa ſunt, aut & aliæ cōcurrūt, vt propulſatio, quæ per ſpecies fit, & attractio humidi, q̄ à poroſo accidit: de quo ſatis iā dictū ſit.

De analogia rerum in agendo. Ca 11.



St præterea rerum conſenſus & diſſenſus alius in agendo aut ſimpliciter aut porrò certo fine. neq; em̄ omnia in omnia agunt, ſed certa ſolùm in certa. quorū ratio quærēda quidē eſt, ſed in vniuerſum. ergo in omni actione tria præcipuè requiruntur, præſertim ſi certi cuiuſdā gratia futura ſit. Sunt autem facultas agentis, aptitudo

mate

materiæ, & applicatio cõueniẽs. dico autem applicationem contactum, ſitum, moram, & in quibuſdam organa. hæc igitur quũ cõſentiunt omnia, tum actio ſperata fit, & obtinetur finis. & quæ eiuſmodi ſunt Analoga dicũtur. ſi verò aut omnia, aut plura, aut & vnum horũ deficiat, actio quidem fruſtratur, aut ſimpliciter, aut pro fine, & hæc non analoga vocantur. Accidit autem ſæpiſsimè aliquod vnum, aut plura ex his deficere: interdũ enim agentis potentia minor eſt quàm oporteat, interdum maior. quare ſæpe priuſquam intentam inducat formam, ſubiectum aut abſumit, aut liquat, aut in vaporẽ vertit. q̃ de cauſa magna flamma nutriri in parua candela nõ põt. Colliquat eñ ſtatim pabulũ totũ
quod

quod ſenſim in fumũ & ĩde in flã mã verti debebat. quãdoque ma teria ipſa inepta eſt. neque enim ex terra aut aqua flamma vnquã conſurget, ſed vapor, qui abibit. at neque ex luto neq; ex lapide, niſi hæc fortè in alia multa prius cõuerſa fuerint. quòd ſi flamma futura ſit, ex miſto fiat oportet, neque ex omni, ſed ex ſicco aut vnctuoſo, ꝓpinquo naturę ignis ita nec homo nutrietur ex quoli bet, vel etiã tenero. neq; enim ex gramine vti equus. quoniã aliena eſt ea natura, à natura hominis. aliena aũt ſunt invniuerſum, alia ob qualitates cõtrarias, quę lon- gè diſtãt, alia ob ſpirituales, quæ cõtrariorum ſunt & refugere ani mam faciunt. aut & quędã etiam repellunt. alia ob ſubſtantiæ mo dũ, qui eſt aut duricies, aut molli

cies, aut craſsicies, aut lentor & eiuſmodi: ob quę, aut non trahitur quod oportet, aut nō pellitur quod oportet, aut non miſcetur quale oportet. ſępe autem conuenientia erunt, & agens, & materia, ſed applicationis modus non cōueniet. aut enim nō planè fiet applicatio, aut non cōſentit propter figuram vel vias & foramina, quæ aut laxa plus ęquo ſunt, aut anguſta: interdum cōtactum prohibet ſpiritualis ſpecies: interdum nimis arcta & aſtricta quędam tenet aut ſpecies, aut vacuū. Interdum contactus fit, ſed mora aut longior fit quàm deberet, vnde exuritur materia, aut breuior fit, quàm oportuiſſet. ſæpe actioni obſtat partium ſitus. miro enim modo miſta compoſita ſunt. alijs villi per longitudinem

protendũtur, alijs per latitudinẽ, alijs in orbem, alijs aliter. qui modi penè infiniti sunt. propter quę alia per lõgũ bene solubilia sunt, alia per latũ, alia aliter. quę res in alterationibus quoq; actionẽ nõ parum euariat. quædã postremo certa instrumenta requirunt. propter has igitur causas non omnia in omnia agunt, sed certa in certa solum. Fulmẽ, aurũ, & vina colliquat nihil læso loculo & vase. in aurũ enim & vina penetrat & tãgit, & morã trahit, & propter acrimoniam caliditatis eliquat. ad loculum autem & vas debita applicatio non fit, aut propter laxitatem foraminum, aut propter paruam morã. aurum non imbibit oleum & vinũ, aut propter angustiã foraminum, aut propter contrarietatem, qualitatũ spiritualiũ

quæ

qũæ ſeiuncta ea tenet. argentum
autẽ viuũ vel auidiſsimè ebibit,
ꝙ ſtatim penetret in foramina, &
attrahatur propter ſimilitudinẽ
& ſympathiam. oleum aquę mi-
ſceri nõ vult, vino autẽ miſcetur
melius, optime autẽ cum vino a-
qua. liquidorũ enim alia bene mi
ſcibilia inuicẽ ſunt, alia nõ bene.
bene quidẽ quę aut vnã & eandẽ
ſubſtantiã habẽt, aut ſaltẽ diuidi
mutuo ad minima poſſunt. aqua
igitur cũ aqua, & vinũ cum vino
optime cõmiſcẽtur, quoniã vnũ
ſunt, & vnũ cõtinuũ cõflãt. vinũ
autẽ cũ aqua bene & ipsũ miſce-
tur, quoniã ſi fortè vnũ nõ eſt cũ
aqua, nec cõtinuũ facit, ſed conti
guũ ſolum, ꝙ forma differat &
terminis, diuidi tamen cũ illa fa-
ciliter põt in particulas minimas.
diuidũtur autẽ ad minimas par-

tes, quoniam natura tum elemẽ-torum, tum liquidorũ eſt, vt eorum partes meliorem ſitum habeãt quo poſsibile ſit. melior autẽ ſitus eſt ille, quo partes minus diſtant inter ſe quo poſſunt: & ſi quidẽ datur, cõtinuæ fiunt inter ſe, ſi verò non datur, quia formæ non vnum ſint, propinquiores tamen & vnitę magis quo poſſunt partes eſſe volunt & quærũt. propinquiſsimus autẽ ſitus eſt, quo diſtant ſolum per interpoſitionẽ vnius minimi, quod vltra diuidi non poteſt. Si enim diſtarent per interpoſitionem trium vel quatuor minimorum, maiorem procul dubio violentiam ſuſtinerẽt, quare mutuo ſeſe ad minimas particulas diuidunt, ſic enim melius locantur. quę vero liquidorum, neq; vnam ſubſtantiam habent,

bent, neq; inuicē diuisibilia sunt ad partes minimas, illa bene miscibilia nō sunt. talia autem sunt quæ & naturas valdè diuersas habent, & alterum illorum fortis & cōpactę mistionis est, quale oleū quod cum aqua plurimum distat natura aereū & igneum exīstēs, & pingue & fortiter mistum. propter diuersam igitur naturam, cum aqua neq; continuum fieri cum illa potest, neq; planè contiguū tū ꝙ particula quęlibet illius non bene diuiditur pinguis existēs: tum quod altera ad alteram attrahitur (vt est videre) propter aerem, qui plurimus est in oleo. quare non admiscetur illi, sed superstat. dupliciter enim bene locantur liquida: aut cùm ad minima diuidūtur, aut cū alterū subsidet, alterū superstat. Superstant

autē quæ leuiora ſunt & cū aere conſentiūt magis, quale oleū: ad minima verò miſcentur, quæ aquea magis ſunt. Vinū igitur ꝙ aqueū magis ſit, ſed tamen & aeris atq; ignis plurimum habet, & ſi neq; ipſum optimè miſcetur oleo, melius tamē miſcetur quàm aqua. mira res eſt argētū viuum, quod liquidorū nulli admiſcetur ſed durioribus ſolū: & ijs nō omnibus, ſed auro & argento & ſtanno, & plumbo, in quæ ita imbibitur, vt mollia ea reddat, liquidis autē alijs non admiſcetur: ꝙ propter pōdus ſubſidat omnibus, & ꝙ diuerſæ multum naturæ ſit, & fortis miſtionis. neq; igitur vnū cōtinuū cum alijs facere poteſt, neq; ad minima cū ijs diuidi. eſt aūt fortis miſtio, alia quidē in duricie cōſiſtēs, alia q̃ diu & fortiter

agitata est, & miscibilia habet, ad quã minimas ptes redacta. sic em̃ separari inuicẽ nõ facilè possunt, tũ ꝙ propter propinquitatẽ simi lia similibus sese astricta tenent, quare cũ dissimilia disſimilibus minutisſime cõmista sint, similia in sua cõsimilia valde posſũt, ꝑpter propinquitatẽ: tum fortè & ꝑpter vacuũ, quod propter ea ꝑtiũ vicinitatẽ plurimũ obstat, ne separatio particularũ cõponẽtiũ fiat. est autẽ mira ea mistio & cõpositio in argento viuo. Constat enim è calidisſimis simul & frigidisſimis ꝑtibus, verũ redactis ad tã minimã quãtitatẽ, & ita ordinatis vt penè sese oĩa tãgãt, & similia iuxta similia, & iuxta disſimilia sint, quod plurimũ facit ad cõtinẽdã mistionẽ. ꝑpter hęc igitur alijs liq̃dis nõ miscetur: durio

ribus verò quibusdã miscetur vt
auro argẽto stanno & plũbo pro
pter sympathiã naturæ (vt dictũ
est). attrahitur enim in eorũ vo-
catos poros ad particulas omnes.
propter quod& ea molefacit: nõ
secus ac alia liquida, vt aqua, so-
lẽt duriora porosa vt ligna& eiuſ
modi, mollia reddere. ipsum quo
q; duriciẽ quandã & consistentiã
recipit, si prædictorũ scobes cum
eo misceãtur: attrahit enim& ex
ea cõmistione consistentiã acqui
rit. quod plerosq; fallit putantes
per eam viã posse argentũ confla
re, nescientes non verã mistionẽ
fieri, sed apparentẽ, per iuxta po
sitionẽ quorundã constitutã, quę
facillime solui posśint & separa-
ri. Simile quiddã pati & Adamã
tem censendũ est, si modo verum
est hircino sanguine solo molle-
scere.

ſcere. penetrat enim & ipſe in Adamãtis foramina vſq; ad minimas ptes ꝓpter analogiã, quę eſt vel in principio cõmuni, vel foraminum ratione, propter quod & molleſcit. quæ autẽ analogia particulatim ea ſit, Deo & naturę notũ eſt. habere autẽ ſympathiã ad quædã Adamantẽ, & cõmune attrahẽdi principiũ, illud mõſtrat, ꝙ & paleas & ſurculos trahit. quare nihil prohibet & ad hircinum ſanguinẽ conſimilẽ quoq; habere rationẽ. idẽ & citrijs accidere, inſperſo in eorũ cumulum pane, putandũ eſt. attracta enim in panẽ humiditate eorũ, atq; illic ceu alieno in loco putreſcente, principiũ reliquo datur, vt cõputreſcat qua de cauſa flacceſcũt ea mala.

Vniſonum autem aliud vniſonum cõmotat, quoniã quæ ſimi-

liter tensæ sunt chordę, consimiles aeris vndationes & facere & recipere natæ sunt. quę verò dissimiliter sunt tensæ, nō eisdē circulationibus aptæ sunt moueri, sed vna circulatio aliam impedit. ictus enim chordę, motus est cōpositus è duobus motibus, vno quidē quo chorda pellitur ante, hoc est versus aeris circulationes alius verò qui retro fit, chorda reducēte sese ad sitū propriū. si igitur mota vna chorda debet & alia moueri, oportet vt in secūda talis proportio sit, ꝙ vndationes & circulationes aeris, quæ impellunt & faciūt motū ante, nō impediāt motū qui retro fit à chorda. quā ꝓportionē solu̇ hę chordæ habent, quæ etiā cōsimilē tensionē habent. quæ verò dissimilē sortitæ sunt tensionē, nō sese cō-
mot

motant, quoniã dum secũdus fit motus, id est reditus chordę retro circulatio secũda illi obuiat & se se impediunt: vnde nec motus fit vllus præter primã impulsationẽ quę intensibilis est. vidi ipse in ecclesia quadã vbi statuæ multæ cereæ circa sacellũ loco alto disposi tæ stabant, pulsante tintinabulo quodã, vnã illarũ tremere, reliqs immotis pmanẽtibus, quod cùm quibusdã q propè aderãt, indicassem, admiratio multa eos cœpit. causa nõ alia erat, nisi q̃ & in vnisonis accidit. plures quoq; cũ põdus aliquod ferũt, eadẽ pportione indigẽt, vt cũ alius pedẽ sistit, alius moueat: sic em̃ sine labore ferũt, qp si sese impediãt quietes & motus, fatigatio fit multa, & ferre tandẽ non possunt. Idẽ accidit & ijs qui panem pinsunt, cũ duo
aut

aut tres lignum illud longum ac graue, modo eleuãt, modo deprimunt. Si enim non ea ratione id agant vt pariter omnes tollãt, ac pariter deprimant, cùm alius tollit, alius premere incipiat, motus ĩpeditur & labor accidit. In chordis autem propter celeritatem circulationum non percipitur.

Alia verò ratio eſt. qua Lupina Tympana ea diſſoluunt quæ ex agnino corio ſunt conflata. in his enim non ſolũ aeris motu ad impulſionẽ facit, ſed & ſpiritualis ſpecies. dictũ eſt enim contrariorum ſpecies contraria pellere. Lupo verò & agno contrarias eſſe naturas conſtat, ſpecies igitur contrarij vnius delata per aerem ad aliud, pellere maximè & diſſoluere etiã poteſt, non ſolũ per ſe ſed adiuta aere, partim ꝙ denſior

nior ille sit factus, partim quod per circulationes & ipse impellat in penitissimos porros ingressus. propter eandē contrarietatem dicuntur & aquilarum pennæ pennas alias dissoluere.

Quæ verò brassicæ & rutę inimicitia est, pręter inimicitiā specierum, inde fortasse putandū est accidere, quod vtraq; calida est, & crassarum radicum, quare cū multum humidi quælibet ad sese trahat, fit tandem vt iuxta satę præ humoris inopia arescant.

De octimestri autē partu plura fortasse oporteret dicere. nunc tantum dicatur, quod quemadmodū in genere tritici est quoddam semen, quod tribus mensibus generat, vnde & trimestre vocant, alij setaniū appellant, quoddā verò quod mensibus nouē. ita & in ge-

ner

nere humani ſeminis quòddã eſt quod ſeptẽ menſibus parit, quod dam quod nouem. partus igitur qui editur octauo menſe, eſſe quidẽ non poteſt ex eo ſemine quod ſeptem mẽſibus gignit. quare ex eo erit quod nouẽ menſibus ſolet maturum producere. igitur cùm ante nonũ menſem editus ſit, indicat immaturũ eſſe, & vi aliqua eiectũ. talis autem vtpote immaturus & præcox moriturus enatus eſt. cuius ſignũ eſt, ꝙ certis regionibus vt in Aegypto octimeſtres partus etiã viuere ferunt, ꝙ bonitate regionis defectui immaturitatis ſatis fiat. cur autem duo tãtum ſint humani ſeminis genera, & alterum ſeptem, alterũ nouem menſibus partum edat, eandem habet quæſtionem cur & in genere tritici duo ſimiliter ſemi-

nis genera sint. causa in vniuersũ est analogia talis agẽtis ad talem materiam, nam quis quærat cur tanta flamma tantũ roboris absumat in hora vna? ac de sympathijs tum elementorũ tum & mistorũ quatenus mista sũt hactenus traditum per transcursum sit.

De animę Sympathijs & Antipathijs. Cap. 12.

NVnc ad animam transeamus cuius cõsensus & dissensus non minorẽ etiãnum admirationẽ præbent. præsertim eius quæ cognitrix est. nã quæ vegetat solum & in plantis præcipuè spectatur, communes videtur consensus cum ijs habere, quæ simpliciter mista sunt. tametsi propter miram compositionem, quæ organica est, existiment

ment aliqui habere plantas peculiares quasdam actiones, quatenus organicæ sunt, vnde & Plato sensu quodam participare eas dixit, quod & confirmare etiam Galenus videtur. Verum operationum quæ organa insecuntur, alia ab anima fiũt, vt simpliciter mista est, alia ab ea vti cognoscitiua, quare & attractiones aliquę simplices sunt, aliæ organicæ. organicas dico quæ fiunt per cõstrictionem & dilatationem villorũ: simplices autem quæ per species vt supra dictum est. videntur igitur plantæ simplices quidẽ attractiones & expulsiones habere, quemadmodum & alia mista, organicas autem non. neq; enim ad eas obeundas cõstrictione sui & dilatatione vtuntur, sed solũ simpliciter trahunt familiaria, fugãt

aut

aut contraria. dedit tamen natura illis organa quędã, quo melius possent hæc operari. miro enim ordine ea ꝓcedit, trahũt siquidē & elemēta & mista nõ organica, ac demũ & organica. verũ elemēta simpliciss. exercēt attractionē mista verò nõorganica nõ ita simplicē pñt attractionē facere, sed poris saltem indigent, & via qua posint, & similia ad omnes partes trahere, & disimilia vndequaq; propellere. at plantæ maiori etiã organo indiguere, ꝑ quod certa solũ attraherēt, & certo tēpore cõtinerent, & digererint vnde tandē nutriri possent. animalia porrò præter hæc organum etiã mouent, & cõstringũt, & laxant prout bene est. Plãtis igitur & si necessariũ est organũ quoddã ad attractionē, nõ tamē ꝓpriè

organicã faciũt attractionẽ, qua
re nec sentiũt nec cognoscũt, nisi
per transumptionẽ quãdã, ꝙ mi-
ro quodam quasi ingenio discer
nãt, quæ sibi cõuenientia sunt, &
quę cõtraria, ac partificiose cõ-
positas vias trahãt & pellãt. atq;
hoc esse arbitror quod Plato vo-
luit significare, quare nec simpli
citer dixit sensum habere plãtas,
sed sensum quẽdã. Si enim sen-
sum ꝓpriè haberent, sic vtiq; &
constringi possent ꝑcepto ma lo
& laxari ꝑcepto bono, vt paulo
post ostẽdemus. quęrat autẽ for-
tasse aliquis quomõ in plantis &
vniuersaliter in ijs quę alũtur &
vegetare dicũtur, attractio alimẽ
ti fiat. Siquidẽ attractio eatenus
fit quatenus aliqd simile est, at ali
mentũ quũ trahitur dissimile est
quippe qd alterari & trãsmutari
in

indigeat, si postremo assimilari mēbro debet. oportet igitur eorū meminisse q̄ supra dicta sunt, qui sese trahūt, ꝑ principiū vtrisque cōe trahi, quod sæpe in mistis latet. quę aliud actu sūt aliud potētia, multa em̄ actu & ꝑ accidēs priuata eo sunt, quod ꝑ se & ꝑ naturā habēt remanēte tamen natura ꝓpria & forma cū virtutibus & potētijs ꝓprijs inter quas est & attractio. attrahitur igitur alimētū à forma nō qua actu, & ꝑ accidēs talis est, aut ipsa aut alimētū, sed qua ꝑ se talia sūt, ac sic quidē est similitudo principium eius attractiōis, alteratio tn̄ q̄dā mox fit, vt id abijciatur ꝑ quod actu dissimilia sunt. quo abiecto demū exquisita fit similitudo & vnio. aliud aūt ꝑ quod actu & ꝑ accidēs dissimile est, qn̄q; q̄dē est

forma trahẽs priuata aliquo ſibi ꝑ naturã debito, interdum eſt id quod trahitur vt alimentũ, quod ꝑ accidẽs ſupabũdat aliquo contrario & abijciẽdo, ꝑ ſe autẽ ſimile eſt, quare q̃tenus ſimile attrahitur, quatenus cõtrariũ alteratur.

De Sympathijs animæ cognitricis. Cap. 13.

MAiores autẽ & magis admirãdos cõſenſus & diſſenſus ea habet anima, quæ cognitrix eſt. primũ autẽ recipiamus cognitionẽ omnẽ tum ſenſuũ, tum phantaſiæ, & intellectus, per eas ſpecies fieri quæ ſpirituales vocantur. porrò ſpecies haſce repreſentare non ſolũ res, quarum ſunt ſpecies, ſed & rerũ modos. dico autem modos, figuram ſitum magnitudinem locũ modum quietem & relationes

mul

multas, vt ſimile diſsimile dextrum ſiniſtrum & id genus. inter quos modos præcipui & maximè intrinſeci ſunt conuenientia & diſcõueniẽtia eius, quod offertur cum anima. omnis enim oblata res recipitur quidem ab anima vel vti amica & conueniens, vel vti ingrata & diſconueniens. atque hi primi quidem ſunt, & ſimplicisſimi cõſenſus, & diſſenſus rerum cum anima. à quibus duo etiam effectus primi & ſimplicisſimi ab anima fiunt, cõſtrictio & dilatatio. quippe recepta ingrati & diſcõuenientis ſpecie, cõſtrictio animæ & membri fit, recepta verò grati & conuenientis laxatio & dilatatio. qui motus quomodo ab anima fiant, nõ paruam habet dubitationẽ. quoniam contraria ſunt dilatatio &

constrictio, contraria autẽ per se ab vno non possunt fieri, nisi fortè ad vnũ certum fuerint, condẽsantur quippe elemẽta, rarefacta quũ fuerint, & rarefaciunt se cõdensata, sed hoc ad vnũ certũ est, quo veniant ad eum situm & terminũ, qui illis pro natura debetur. aer quoque si loco ignis ponatur, descendit, si in loco aquæ, ascendit. sed hæc fiunt nõ vt contraria, sed vt ad vnum tendant. at cõstrictio, & dilatatio membrorum non ad vnum est, sed modo magis, modo minus vtrunq; faciunt, quinimo & ab eo etiã termino sæpe recedũt raritatis & dẽsitatis, qui formæ misti debetur, quatenus mistum est. quod per naturam fieri posse non videtur. si igitur anima per naturam facere contrarios illos motus nõ potest,

test, quid p deos erit quod ipsos faciat? Sunt qui iñ his ad instinctus naturæ recurrant, dicẽtes habere animalis naturã instinctus quosdã, p quos mouet, prout bene est & magis expedit. sed certè hoc nõ aliud est, quã eandẽ quæstionẽ repetere. si eñ instinctus ille est pricipiũ p se eorũ motuũ, oportet naturã esse. natura autẽ omnis vna est, & vnius factiua, aut pluriũ quidẽ ad vnum. hi autẽ motus neque vnũ sunt, neque ad vnum, imo non solum inter se cõtrarij, sed formę misti cõtrarij.

Fortasse igitur dicendum est sicuti elementum plures habitudines & plures motus habere potest, vnum, scilicet ad loca propria, alium partium in toto: ita & anima, quæ forma membri est, potest plures habere habitudines

&motus: vnum quidē ad motū elementi prædominantis, alium partium in toto. & hūc duplicē, alterum quatenus ſimpliciter miſtum quoddam eſt, alterum quatenus eſt forma cognoſcēs. vtroque enī modo partes in toto moueri poſſunt. nam quatenus totū illud ſimpliciter miſtum eſt, ſeſe partes in eo & condenſant & rarefaciunt, quo veniant ad certū illum terminum, qui toti conuenit. at verò & quatenus totum illud cognoſcens eſt, ſic poſſunt in eo moueri partes vt bene eſt. ſi enim non cognoſcentia poſſunt per naturā ſimplicē debitā coexiſtentiā ſibi parare, cur & cognoſcentia & ſentientia bonū & malū non itidem poſsint? eſt igitur anima quodāmodo vna natura, quodāmodo nō vna. vna quidē

qua

quatenus mēbrū ſimpliciter miſtū eſt, cuius eſt forma: ac talis q̄dē vnius factiua eſt, aut plurium ad vnum. non vna autem eſt quatenus cognoſcēs. ſic enim quū à diuerſis mouetur, diuerſa etiā fit, aut ſaltem non eodēmodo ſe habens. quare & vt talis plura & cō traria poteſt efficere, quoniā non vt ſimplex, & vna natura agit, nec incōuenit partes in toto moueri vna habitudine, quæ toti cō traria eſt ſecundum aliā habitudinē. nam & in alijs miſtis partes interdum rotundātur in toto, & non deſcendunt, interdum deſcē dunt & non rotundantur, tum & ſe rarefaciunt ac condēſant, nūc aſcendentes contra totius naturam, nunc deſcendentes. quare nec inconuenit conſtringi & laxari membrū, quatenus cogno-

ſcens vltra eum terminũ rarefa-
ctionis, qui ſibi debetur, quate-
nus miſtũ eſt. neq; em̃ repugnat
eundem motum eidem eſſe vio-
lentũ ſub vna ratione, cõueniẽs
autẽ ſub alia. igitur recepta ſpe-
cie ingrati & diſcõueniẽtis nihil
repugnat mẽbrũ conſtringi. ſic
enim partes melius eſſe & ſitum
habent, quoniã tactus fit ſecũdũ
minimũ quo poteſt, & retractio
à nocente. contra verò ſi boni &
grati ſpecies recipiatur ab anima
dilatatio fit: quoniã penitiſsimè
partes omnes id bonũ recipiunt,
alioqui totũ nõ bene haberet, ni
ſi ſecundũ partes omnes fruere-
tur eo bono. primi igitur & ſim-
pliciſsimi conſenſus & diſſenſus
animæ hi ſunt, & primi motus
animalis cõſtrictio & laxatio. ex
quibus paruis principijs mox ad

magnos & admirãdos ſenſim pueniré animal potuit. primũ autẽ de ſympathijs ſenſuum & antipathijs proſequamur.

De ſenſuum Sympathia & Antipathia. Cap. 14.

MIra profectò ea cõcordia eſt, quæ inter ſenſus & eorum obiecta verſatur, ſi temperata ſint. alioqui ſi excedant, non ſolum non conſentiant cum ſenſitorijs, ſed ea perturbent & corrumpant. Soni igitur (vt ab ijs ordiamur) ſi valde magni ſint, ſi nimis acuti, ſi nimis graues, ſi aſperi, ſi multi cõfuſi, ſi prorſus inſoliti & ignoti, ſi vniformes ac demum ſi imuſici ſint, oẽs per moleſtiã recipiuntur. cauſæ autẽ occultę admodũ ſunt. cõmunis verò omnium ra-

tio eſt,ingratos eos offerri ſonos in quibus anima incommodam cognitionem facit. quoniã enim finis eius & perfectio,eſt ipſa cognitio, ad hoc autem requirũtur & bonus organi ſtatus, & virtus potẽs & applicatio cõueniens,ac modus receptionis idoneus, tum quidem per diſplicẽtiam anima recipit,quum aut virtus laborat, aut organum vim patitur, aut applicatio impeditur,aut incõmode recipit. qui igitur imbecilles ſunt, aut circa auditũ dolent,ſonos pene omnes ferre non poſſunt.verum cauſa non accidit ex ipſis ſonis. at ſi ſonus ingens ipſe ſit cõmotat organũ propter circulationes aeris, tũ & virtutẽ diſſoluit,& applicationẽ tollit, vnde & cõfundi animã accidit & terreri. Similiter & ſi acutus valde

ſit ſonus, & ſtridulus applicatio vim patitur, quaſi in auguſto facta. tũ & mẽbrana auditus quaſi icta offenditur, vnde & cõtrahitur repẽte, ac cũ ea ſimul & neruuli quidã vſq; ad radices dentiũ, in quẽ locũ ſubito incidens nouus aer horrorẽ quendã circa dẽtes facit. grauis quoq; plus æquo ſi ſonus inferatur, plus aeris mouet q̃ ſenſitoriũ ferat, tũ & applicationẽ valde amplã expoſcit. aſper verò eſt, ꝗ fertur ꝑ inęqualẽ ſuꝑficiẽ. quare circulationes aeris cõfundit, & ſpeciẽ quaſi fractã ad ſenſum defert, vnde & ſenſatio ſimul varia fit & confuſa, ad quã nec applicatio cõueniẽs adhibetur. Vniformis autẽ iccirco moleſtus redditur ꝙ nihil addiſcit anima, coacta nihilominus intẽtionẽ fruſtra adhibere. Cur
au-

autē ignoti & valde insueti soni timorē incutiant, mox dicemus, quū de timore agemus. q̄ verò de cā fiat, vt q imusici sunt, molesti audiātur, musici verò & certis cō stātes nūeris, suaues gratiq; recipiātur, difficultatē nō paruā habet. qn̄ nec numeri, nec in vniuersum quātitas vlla p se potest esse principiū vllius actionis. p accidēs aūt & vt modi eius quod p se est, quomō cōcurrāt numeri, nō satis patet. Vtrū igitur vt qdā dicūt, quòd anima maximè musica ipsa sit (vt Timęus tradit) musicis etiā sonis gaudeat, an rhetoricū magis est hoc. & Timæi generatio aiæ poæticū qddā est, nihil aliud significare volēs, quàm q anima ex maximis rerū pfectionibus cōstat. ad numeros aūt q in sonis sint equidem nō video

quam

quã cognationẽ habeat. Fortasse igitur dicendũ est sicut in numeris quidã integri sunt, quidã fracti, ita & in sonis quidã integri, q dã fracti dicuntur. Integri sunt omnes per se soni, qui vocẽ vnã faciunt, vna autem vox quę tota simul mouet, fracti verò qui vel vnã vocem nõ simul totã reddũt, sed per partes, vel vocẽ vnam & insuper partẽ eius includant. Si igitur integer sonus ad aurem veniat, siue vnus fuerit, siue plures, collati inuicẽ suauiores accedũt, quàm si fracti veniant. vnus quidem, quia si vocem non vnam facit, sed per partes ad vnam ascẽdit vocem, asper quodammodo est, & inæqualis atque indistinctus. Si verò vocem vnam totã reddat, & vt dicitur rotũdã, distinctus est atq; iccirco gratus.

Similiter & si plures sint, fracti aũt, aut omnes aut aliqui molesti sũt, siue voces nõ reddãt vnas, siue vnã & insuper partem includãt. in omnibus enim inęqualitas quędã est & indistinctio. at si voces rotundę omnes veniãt, tũ & ordo quidã in illis est & distinctio. omne aũt ordinatũ & distinctũ delectat. quod & Aristoteles significare voluit circa problemata. Numeri igitur quatenus numeri nihil ꝑ se faciũt ad suauitatẽ, & molestiã in sonis, sed solum quatenus ꝑ ipsos modi sonorum notãtur, qui aut distincti, aut cõfusi & asperi ad animã pertingũt. quanquam de his plura fortasse oporteret dicere, nunc autem tãtum dictũ sit, quantũ attinet ad propositum. Eadem & circa visum cõtingunt, & propter easdẽ

cau-

causas. Lumen enim si ingens sit, ab anima ferri nõ potest, quoniã & ipsum virtutem & applicationẽ dissipat, quod & colores quoq; faciunt, qui nimium lucis habent, vt albi & rubri si & fulgidi sint, medij verò q; temperatiores sint, grati omnes recipiũtur, & inter ipsos viridis qui temperatissimus est. tum qui illi sunt proximi vt puniceus & flauus. niger verò quòd priuatio quædam sit lucis, minus delectat, paruorũ quoq; cõspectus ingratus pariter est, q; applicatione multa indiget & indistictus est. In saporibus quoque qui valde acuti sunt, vt Euphorbij, Clematidis & similium, molesti omnes sunt. fortasse autẽ & sensum tactus feriunt: quoniã calidissimi sunt. calidi quoq; sunt salsus, amarus & dulcis, sed salsus

acuitatem habet haud ingratam, quoniã diluti ſubtilis nõnihil habet. propter quod aſper non eſt, ſed æqualiter ſẽſum tãgit. at amarus cõtra inęqualiter tangit, ꝙ ex terreo aduſto conſtet, & in craſſa ſubſtantia ſit. quare aſpera eſt illius applicatio & confuſa. dulcis verò ſuauiſſimus omniũ recipitur, quoniã exceſſum in miſtione nullius habet, ſed omnium cõuenĩetem miſcellã ex aereo multo & aqueo, cum quibus quę terrea & ignea ſunt, minutiſsimè ſunt confracta & rotundè cõmiſta. propterquod ęqualiſsimè ſenſum attingit & vt vnum, quã ob cauſam è rotundis cõſtare Pythagorici aiebant. è frigidis autẽ põticus acutis oppoſitus eſt. qui è multo terreo conſtat nõ planè digeſto, hoc eſt non exactè commi-
ſto,

ſto, ſed vt rudi & craſſa ſubſtãtia conſtituto, propter quod & ille aſper eſt & inamabilis. ſi verò in eodem terreo plus aquei humidi adſit, acerbus fit ſapor. qua & ipſe aſper eſt & ingratus, minus tamẽ q̃ ponticus propter dilutionẽ. ꝙ ſi minus adhuc terræ, plus autem ſubtilis aquei bene cõmiſti affuerit, acidus vocatur ſapor, minus adhuc ingratus. ſi verò terreũ ſub aduſtũ fuerit, ſubtile autẽ, multo autẽ aqueo bene cõmiſtũ, acetoſus fit ſapor. in vniuerſum autem terra ingratũ videtur saporẽ facere, ꝙ inęqualis ſit ac ſicca & frigida, humiditas verò gratior videtur, quoniã æqualis eſt & lenis. ꝙ ſi cum caliditate cõiuncta ſit, omniũ ſuauiſsima habetur. quoniã & calor gratiſsimus eſt animæ, ꝓpter quod aer maxĩe ad ſuaui-

tatẽ ſaporũ facit, aqua verò propter frigiditatẽ minus. Ignis porrò & ipſe, niſi acrimonia officiat, propter caliditatem ad ſuauitatẽ cõducit. multum præterea refert vtrũ miſtio ex minutiſsimis conflata ſit, & ijs quæ vnum facere apta ſunt, an aliter. quas ob cauſas diuerſæ ſaporum miſtiones fiũt. quarum aliæ gratæ, aliæ ingratæ animæ ſunt. ingratiſsima omniũ illa eſt, quæ non aliam habet appellationẽ, niſi ꝙ abominabilis dicitur, vt luti, ſtercorum & quorundam medicamentorum. horum autẽ digeſtio nulla eſt, nec miſtio quæ ad vnum ſit, ſed plurium confuſio, quorum alia amara ſunt, alia acria, alia inſipida, alia aliter ſe habentia, ad quæ nec applicatio cõueniens eſſe poteſt, nec diſtinctio, nec ordo, nec demum

mum

mum familiaritas vlla cum anima. proportionaliter autē ſe habent, & odores quorum ingratiſſimus eſt, qui fœtidus appellatur quiq; abominabili in ſaporibus correſpondet. nã & hic ex ijs pariter reſultat, quę nullam habent digeſtionem nec rationē miſtionis, ſed cõfuſionem è multis ac diuerſis. qualia ferè ſunt putreſcentia. In quibus diſſoluta miſtione euaporatio diuerſorũ contingit. Oportet præterea & illud non ignorare ꝙ contrariarum miſtionum cõtrariæ quoq; formę ſunt, & contrariarum formarum cõtrariæ quoq; ſunt ſpirituales ſpecies in repręſentãdo. propter quod in ſaporibus & odoribus illud pręcipuè accidit, vt quorum contrariæ ſunt miſtiones, illorũ quoq; & ſapores & odores cõtrarij ſunt.

quare nec qui vni animali eſt gratus ſapor aut odor, etiã alteri eſt gratus. Sicuti nec eiſdẽ omnia nutriuntur, ꝗ diuerſę ſint diuerſorũ miſtiones & diuerſis gaudentes, quod & inter homines quoq; eſt videre: quorum alij vinum, alij acetum, alij carnes, alij alia faſtidiunt, vel natura vel morbo. Porrò & circa tactum eadem quoq; ſpectantur. ſuauiſsimus & maximè conueniens eſt illi calor ſi tẽperatus ſit, tũ & humiditas, quoniam lenis eſt & ęqualem tactum facit non aſperum. miſtio quoque illa voluptuoſiſsima eſt, quę dulci ſaporum proportione reſpondet, in qua decoctio eſt optima, & miſcella rotundè cõfecta. temperata autẽ qualitatibus, quale eſt ſemen, propter quod ſuauiſſima omnium eſt voluptas, quæ

in ſeminis emiſsione ſentitur in ea parte, quæ pariter omniũ titillãtiſsima eſt. Ingrata verò tactui per ſe eſt frigiditas, maximè quę cum ſicco coniuncta eſt, propter quod terra, & ea in quibus dominatur, ingratiſsima ſunt. Figura porrò & partium ſitus, quæ tangunt, nõ parũ faciunt ad voluptatẽ & moleſtiã illius ſenſus. vnde q̃ aſpera ſunt & quaſi hamatæ ſuperficiei, ingrata animę ſunt. Ingratus præterea, & doloroſus eſt & ſenſus ille, qui fit ſeparatæ partis à parte. nullus enim conuenientior eſt ſitus partium membri, quàm continuatio illarum, quare ſeparata parte quicquid aliud ſubingreditur & tangit, inimiciſsimum aduenit: ſubingreditur autem vt plurimum aer. ſunt tamen qui dicant ſeparationem

ipſam ſentiri, vnde & dolor inſurgat, q violentiſſima res ſit ſeparatio. quod certè dici non poteſt, ſi quis bene aduertat quid ſit per ſe ſeparatio, non enim aliud eſt q̃ localis motus, aut partes illę duæ ſeparatę. motus autē p ſe nō ſentitur, nec numerꝰ ille, niſi qd aliud ſubſit, quod per ſe ſensū moueat.

De primis effectibus, qui fiunt ex conſenſu & diſſenſu ſenſuum. Cap. 15.



SEntiunt autem partes & membra animalis quandoq; quidē per ſe ſola, animali ipſo non ſentiente nec iudicante ſe ſentire. Interdum animali ſimul ſentiente partis ſenſationem & iudicāte. nam motus quidem quo inteſtina & venæ ſuccū trahunt & deponunt, & torquētur ad emittenda excrementa, tū

venarum & cordis dilatatio & cō strictio & id genus per se quidā à mēbris fiunt, animali ipso nihil sentiente. vrinę autem emissio & fecum, & tussis, & sternutatio & ira, & timor, & progressio nō sine phantasia fiunt, & iudicio animalis. quędā etiam imperāte voluntate proueniūt. Simpliciores autem & natura priores videntur motus, qui sine phātasia fiūt. Fieri autem illos per sensum quendā membrorū credendū est. constrictiones enim & dilatationes non nisi per boni & mali receptionē quandā fieri possunt, vt dictū est. propter quod natura quæ ab imperfectissimis per gradus ad perfectissima progreditur, animalia quædā fecit, quæ vegetāt solū & sentiunt, sine totius phātasia, sed mēbris solū per tactum bonū &

malum comprehendētibus, quales spongiæ ſunt. quapropter de mēbrorū motibus, qui ſine phātaſia ſunt, primò breuiter agamus: mox & de phantaſię ſympathijs agemus. Reaſſumamus igitur quę ſupra vniuerſaliter dicta sūt, ſpeciē omnem quæ ab anima recipitur, recipi quidē vel vti bonā & conuenientem, vel vti malā & diſsidentē. ad hæc autem primos & ſimplicisſimos animæ motus eſſe conſtrictionē & dilatationē. hāc quidem, recepta boni ſpecie: illā, mali. ab his ergo & alij deinceps fiunt & quidem admirandi interdum in eodem mēbro, interdū & in annexis. quippe recepta nocentis ſpecie & facta cōſtrictione, ſępe paulo poſt & dilatatio fit quod alioqui mirum videtur. fit autem ſępe tā vehemens & ſubi-

ta dilatatio illa vt excutiatur nocens. verùm motus illi non secundum idẽ & secundũ eandem rationẽ fiunt. Siquidem cõstrictio fit, vt tangatur nocẽs secundũ minimũ quo poteſt. dilatatio verò mox fit, quoniã minimum illud quod tangit, diu ferre non poteſt illum cõtactum, tum quia vt miſtum vim patitur nimis aſtrictũ, tũ quia vt ſentiẽs, eo in ſitu perſiſtere non poteſt, quibus de cauſis repentina laxatio fit, & ſæpe tanta vt excutiatur nocens. ꝙ ſi excuti non detur, ſed neceſſariò inſtet & inſiſtat, tũc alternatim fit nunc conſtrictio, nunc dilatatio, ſic enim mẽbrũ quietẽ quandã & pauſã doloris inuenit, vt accidit in ijs quos phalangia pupugêre. Interdũ fit & motus tremulus, q & ipſe cõpoſitus eſt è dilatatione

& constrictione. verum differt à priori: in illo enim vtrunq; motũ faciebat anima, in hoc laxatio fit à pondere mẽbri propter debilitatem. constrictio verò à virtute & ab anima, quæ vbi paulisper cessit ponderi, quasi reassumptis viribus cõstringit membrũ ac sustinet. quem motũ alternatim facit, quoniam sustinere semper si vellet anima, deficeret, quare melius quod potest, facit. Interdũ recepta specie mali non constringitur membrũ, sed dilatatur. quod maximè fit, cùm intrinsecum est nocens: cõstrictio enim ipsum auget, dilatatio minuit, quoniã sic refugit anima. quo pacto cor fortasse & venæ dilatationes suas factitant, introrsum enim cùm caliditas magna sit, si inflãmari ipsum accidat, tũ sese laxat ac dilatat,

tat, ſic enim tãgit. porrò facta dilatatione rurſus cõſtrictio fit, qui motus eſt naturalis, mẽbro redeũte ad ſitum proprium. vtriq; autẽ motui ſua conſequuntur beneficia, naturæ cognita. nam ad priorẽ dilatationẽ ſequitur attractio noui aeris, à quo refrigeratur cor ad cõſtrictionem verò ſequitur: expulſio eiuſdem aeris calefacti, & ſimul fuliginum multarũ circa exiſtentiũ. quę quidem beneficia cognita Deo & naturæ ſunt, non autem ipſi cordi. quare quodammodo per ſe fiunt à corde: quodãmodo per accidens. per ſe quidem, ſi cõſideretur cor vt pars totius naturæ, quę res ordinat & fines noſcit. per accidens autẽ quatenus cor eſt natura quędam vna per ſe. quæ quidẽ nõ aliud agit niſi quod per ſe & ꝑ naturã poteſt,

ad quod ſi & finis ſequatur à natura totali intentus, per accidens fit quãtũ ex ſe eſt, non enim ſeſe dilatat cor primò & pe ſe vt aerẽ nouũ trahat à quo refrigeretur: ſed vt minus tangat internũ nocens. nec cõſtringitur vt expellat fuligines, ſed vt redeat ad ſitum propriũ, qua tamẽ viciſsitudine temperiẽ acquirit, ſine qua viuere non poſſet. Sæpe & quiddã aliud maius molitur membrũ recepta nocentis ſpecie. nã cõſtringendo ſeſe in vna parte, deponit nocens in aliam partẽ, qua rurſus conſtricta, deponitur idem nocẽs in aliam, & ex hac rurſus in aliã, quo pacto tandem in totũ lędens abiicitur, ſic inteſtina, feces & excrementa, veſica vrinam deponunt. res quidem mira, quòd vnũ mẽbrũ nunc has nunc illas partes

con

cōtrahat, & modo hos villos, modo illos, quasi ratione quadã vtatur. non est autem ratio alia, nisi partiũ motus in toto, in quo quæ libet ita locatur vt melius expedit. tãtus est cõsẽsus earũ inter se & in toto. propter quod sæpe nõ vno modo mouẽtur oẽs, & villi oẽs: sed modo hi, modo illi, reliqs quiescẽtibus, & ita cũctis ac toto melius se habẽtibus quo possibile sit. Sicut autem in receptione mali diuersi contingunt motus, ita & in boni receptione varij effectus fiunt. si enim per totum mẽbrum receptum fuerit bonũ, tum dilatatio & laxatio totius fit, quo partes omnes profundè bono simul frui possint (vt dictum est). Si verò non secundum totũ receptum sit bonum sed in parte solùm, tũc nõ dilatatio totius fit,

sed

ſed aut conſtrictio magis totius, aut partis ſaltem, quæ bono caret ad eam partem quæ habet. non ſunt autem conſenſus iſti, & diſſenſus tantùm in ſimplicibus mẽbris & eorum partibus, ſed & inter compoſita viſuntur & ea quæ non continua ſunt, ſed contigua, altero alteri famulante & conſentiẽte. vno enim affecto & alia cõſimiliter afficiũtur. propter quod diuinũ dicebat Hippocrates eſſe cõſenſum inter mẽbra. Laborãte matrice, & aut ſurſum, aut in latus retracta, ita & reliqua coafficiuntur membra vnũ poſt aliud, vt eorũ nullum audeat motũ conari, omnia quietẽ agunt, palpebræ claudũtur, reſpiratio vix fit, & cuncta demũ ita immota manẽt, vt ne pesquidẽ aut digitus di moueri queat ſine moleſtia. Cau
ſam

ſam Galenus putat ꝙ à matrice frigiditas quædã ſtupefactiua nõ aliter eleuetur ad mẽbra reliqua, ac in Torpedine piſce effundi accidit. quod quidẽ vt admittatur, põt nihilominus ſine eo ſtupore ad ſimplicẽ mẽbrorũ cõſenſum referri (vt mihi videtur). præſertim quòd ſtupefactũ nullũ apparet mẽbrũ, ſed & audit mulier & calet ac rubet. non mouetur autẽ vllũ mẽbrorũ vt cõſentiãt primo affecto, quẽ cõſenſum in multis alijs eſt videre. dolente ore ventriculi, incuruatur corpus totũ. in calculo ſitus quoſdã natura docet, ſub quibus melius nos habemus, quàm omni alioq; modo. & in dolore capitis ſæpe oculos ita claudi accidit, vt ſi aperiri cogas, moleſtiſsimè facias, & dolorẽ augeas. ita ergo & affecta matrice

nerui & ligamēta quæ ad illā per tingunt, contrahuntur, aut ſimul tenti tenētur, mox ſucceſsiuè & crurū nerui & dorſi, & diaphragmatis, & pectoris, & aliorū idem faciunt. ac demū totum immotū perſtat. qui ſitus & ſtatus vti magis cōueniens à natura eligitur, nec partes melius in toto locari & conſiſtere poſſunt, ita affecto primo mēbro. cuius ſignum eſt, quòd ſi dimoueas membrum aliquod, mulier torquetur, & moleſtiam pati indicat. tantus eſt conſenſus inter mēbra, quæ quáquā diuerſa ſint qualitatibus & natura, animā tamē vnā ſortita ſunt. quærat autē fortaſſe aliquis vtrū affecta vna prima parte ſpecies eius affectus vna ad alia membra mittatur, an plures ſint ſpecies, quot & mēbra & affectus. nihil

autē prohibet nec plures eſſe ſpecies, nec primā mitti ad alia membra. ſed ſatis eſt aliquod primū eſſe affectum ꝑ quod anima quæ vna in omnibus eſt, poteſt partes omnes in toto mouere vt melius eſt, & locare. ſicut em̃ in vno mēbro ſimplici recepta boni vel mali ſpecie non ſecundū totū: ſed in parte ſolum, totum tamen ſitum quærit quo poteſt, meliorem: ita & in toto animali quāquam non vbiq; ſit ſpecies boni & mali, ſed in aliqua parte tantū, pōt tamen totū ipſum & partes in eo meliori mō locari, quo poſsibile ſit. de quo & nōnulla mox dicemus. ac de ſympathijs & antipathijs ſenſuū & ſimpliciū mēbrorum per tranſcurſum dictum ſit.

De conſenſibus & diſſenſibus phantaſiæ, Cap. 16.



Aiores multo & magis admirãdi ſunt cõſenſus illi & diſſenſus, qui fiũt ſpecie boni & mali ad phantaſiã delata. per quam non iam ſenſus aliqs iudicat, ſed animal ipſum. videtur enim ea facultas quaſi toti deputata, vti miniſtra & cognitrix eorum, quæ ad totum pertinent. Habet autem phantaſia cõſenſum quidem cum toto, ſed cũ corde maximum ac præcipuũ, ſtatim enim cor eiſdem ſpeciebus afficitur, quibus & phantaſia, ſiue boni fuerint ſpecies, ſiue mali. porrò & cor cõuocatis ſpiritibus ſupra quàm credi poſsit, cõſentit, atq; ijs vtitur vti famulantibus. quam ob rem de vtroq; nõ parua dubitatio eſt. ac primũ de corde quomodo afficiatur à phantaſiæ ſpeciebus. ſi enim non

cognoſcit ꝑ illas, quomodo moueri poteſt, & conſtringi & dilatari? diximus enim fieri hæc ab anima quatenus cognoſcitiua eſt ſi verò cognoſcit per illas, vtrum ne ſenſu aliquo cognoſcit ſolū, an & ipſum habet quandam aliā cognitionem maiorē quàm ſenſus. ſi quidem per ſenſum cognoſcit tantum, quomodo igitur afficitur & mouetur à ſpeciebus omniū ſenſuū? oportebat enim ſolum ab vno moueri obiecto. at ſi maiorē habet cognitionē quàm ſenſus, habet ne & ipſum phantaſiam aut cōſimilē aliā vim, quod certè non ſatis videtur. porrò de ſpiritibus vocatis difficultas quoque vel maxima eſt, quando cōſtat moueri eos ad omnē partem & ſurſum, & deorſum, & in latus. vnum autē tantū vnū poſſe

videtur facere. ipsi autem vnum quid sunt, ac separati & ꝑ se existentes in animali, quinimo ne etiam cognitionis participes. Ad priorem autem difficultatē possumus cum antiquioribus dicere cognitionem inesse cordi non solum sensu maiorē, sed & phantasia, tum quòd nō modo ea dignoscat quæ & phātasia, sed etiã & motum sensationémq; ipsius phantasiæ, tum quòd & intellectus quoq; actionem ad cor pertingere manifestũ est: atque eadē cor iudicare bona & mala, quæ & intellectus cognouit, vtpote princeps membrum: cui, sicuti sensus & phātasia intellectus seruiunt & ministrant, ita & intellectus & alię facultates in cor veluti regem & vltimũ ordinatę sunt. Signũ cuius est, eisdem affici at-
que

que vltimo affici, vtpote finem, quod antiq omnes opinati ſunt. Verûtamen ſi cui videatur non habere aliam cognitionẽ cor quã quę tactu fit, facta tamen phantaſia quorundam nihil prohibet ſi dixerimus cor non eiſdem ſpeciebus cognoſcere, poſſe tamen & conſtringi, & dilatari, & ſigna terroris, & irę & gaudij prę ſe ferre, quoniam anima (vt dictũ eſt) vna eſt in toto animali. ad motũ autẽ partium alicuius totius animati non eſt neceſſarium partes omnes, quæ mouentur per ſe cognoſcere bonum & malum, ſed ſufficit eſſe aliquod primum cognoſcẽs, per cuius cognitionẽ totũ ipſum mouetur in ſuis partibus, vt bene eſt, mõ oĩbus, modo quibuſdã. Igitur recepta boni & mali ſpecie in phãtaſia, totũ ani-

animal mouetur in ſuis partibus modo vna, modo alia, vt magis expedit. mouetur autem principaliter cor, quoniam inde origo eſt virtutum omnium, & de ipſo totum maxime ſollicitũ eſt. De ſpiritibus autẽ rectè illud dici videtur, quòd & ad partes omnes mouẽtur ſurſum, deorſum, & in latus, & ſeparati etiam ſunt à mẽbris alijs. ſi enim continui forent cũ illis, impelli quidem non poſſent huc & illuc ſine mẽbrorũ offenſa & diſtractione. qua de cauſa ſeparatos illos natura fecit, verũ non ita, vt quaſi atomi quædã, ꝑ ſe cõſiſtãt, hic & illic diſtincti, ſed magis continuos inter ſe eſſe ceu nubẽ quãdã putãdũ eſt. Vtrũ autẽ animati ſint, dubitatio apud oẽs nõ parua eſt, nã animatos non eſſe indiciũ eſt, quòd

& in ſanguine ſunt & in ſemine. hæc autē nec ſentiũt, nec nutriũtur, quoniã organis carēt, anima autē ſine organo eſſe non poteſt, at verò ſi animati non ſunt, quomodo ad partes oēs moueri poſſunt? Dicendũ fortaſſe animatos eſſe ſpiritus eos ſaltē, qui partes mēbrorũ ſunt. animatos aũt eſſe nõ tanquã mēbra per ſe, ſed tanquã partes mēbri, ſunt autē partiũ aliæ quę primæ dicũtur, vt elementa, quæ ſicuti in miſto ſunt, ita ſunt animatę. quare cùm potētia quodãmõ ſint in miſto, ita & potentia ſunt animatæ. alię autē ſunt partes, quæ ſecundæ dicũtur, quę quodãmodo actu ſunt, quodãmodo potentia vt partes organici mēbri. actu enim ſunt, quoniã eſſe ſuũ habēt & ſignari poſſunt. potētia verò, quoniã ex

omnibus tertiũ quoddã ſit, quod per ſe tale eſt. atque hoc modo & ſpiritus partes ſunt carnis, nerui, & oſsis, & aliorũ. ex actione enĩ ſpirituum & temperie ab ijs data cũ alijs ex quibus cõponitur caro & neruus, fit tertium illud quod caro appellatur & neruus, & os. quorũ pręcipua pars ſunt ſpiritus. igitur quod per ſe animatum eſt, caro eſt, & neruus, ſpiritus autẽ per ſe animati nõ ſunt, ſed ſolum vt partes. atque ita ſi ſint, facile erit oſtẽdere quomodo moueri ad omnes partes poſſint, nam & ipſi mouentur ſicuti partes in toto vt bene eſt. cognoſcẽte igitur phantaſia quod mali & boni eſt, in hac vel illa parte nunq̃ bene ſe habet totũ, niſi partes eũ ſitũ quęrãt, quo totũ bene habet. quare laborante corde, ad
ipſum

ipſum mouētur ſpiritus, quaſi opem laturi. qui finis in natura q-dem animalis eſt & Deo cognitus & cõmuni naturę, nõ autem ipſis ſpiritibus. qui tamen moti vti partes in toto finem pręſtant naturę notũ. nihil autẽ incõuenit partes in toto motas & ſurſum & deorſum, in latus ferri (vt ſupra dictũ eſt). incõueniens aũt eſſet, ſi ſpiritus tanq̃ vnum quid per ſe exiſtens in diuerſa agerētur. quo autem modo & illi moueantur, qui in ſanguine ſunt, ſi quis quęrat, dicendum fortaſſe moueri ipſos alio mõ vel attractos ab ijs qui primò vt partes animati mouentur, vel cõſequẽtes ꝓpter cõtinuitatem quam cum ijs habẽt. è tanto igitur cõſenſu quẽ phãtaſia cũ corde habet & ſpiritibus, illi primò fiũt qui affectus animi

di-

dicũtur, gaudiũ, amor, ſpes riſus admiratio, ecſtaſis triſtitia timor ira verecundia cõmiſeratio & ſi qui alij ſunt, de quibus bene erit, ſi non omnia quæ ad ipſos attinent, at quædam tamẽ obiter & per tranſcurſum dici.

De gaudio & appetitu. Cap. 17.

QVòd igitur recepta boni ſpecie gaudium fiat, nemini dubium eſt. verum non propriè gaudium dici videtur, quum ſine phantaſia ſimpliciter membrum aliquod ꝑ ſe bonum recipit. ſed tum magis quũ animal ipſum iudicat, quod per phantaſiam fit, vt dictum eſt. videtur enim gaudium totius animalis effectus quidem ob bonũ apprehenſum. apprehenditur autem bonum, & ab intellectu, verum quia hoc commune non eſt

ani-

animalibus omnibus, vidētur autē gaudere omnia, propter hoc, gaudium phantasiæ attribuitur magis, quę omnibus animalibus est cōmunis aut perfectioribus. Si igitur præsens sit bonū & habeatur, tum simplex fit gaudiū & fruitio boni. si verò apprehendatur quidē per phantasiam, pręsens autem non sit & non habeatur, aut non bene habeatur, tunc appetitus vocatus fit, hoc est motus animæ ad prosequendum bonum non habitum, aut nō bene habitum. nihil enim est aliud appetitus (vt & nomen sonat) quā motus animæ ad prosequendum bonum oblatum, non autem habitum, propter quod appetitus ex gaudio & tristitia quadam cōpositus est. quatenus enim bonū percipitur, eatenus gaudium fit,

tri-

triſtitia verò quatenus non habe-
tur, aut nō cōmodè habetur, qua-
propter mouetur anima ad con-
ſequendū. fit enim motus omnis
ad id quod non habetur. primus
autem & ſimplicisſimus appeti-
tus fit, quum bonū quidem reci-
pit anima, nondum autem pro-
fundè & penitisſimè habet. qua-
re dilatatio fit cordis, quo ſecun-
dū partes oēs fruatur bono, inter-
dū anima ſecundū vnā partē ha-
bet, ſecundum aliam nō, vnde &
alius appetitus innaſcitur, vt ſe-
cundum omnes partes fruatur,
quare aut partē quę caret bono
ad aliā mouet, aut vtrāq; inuicē
aſtringit, aut bonū illud ſuccesſi-
uè de vna parte in aliam deponit.
quo pacto ab infantibus admo-
to ad mamillam ore, primū aſtri-
ctio oris fit vndequaq; circa ma-
mil-

millā & ſuctio lactis, deinde, vt & aliæ quoq; partes fruantur, attractio fit lactis de parte in partē vſque ad ventriculum. quæ quidem attractio non ſolū ſimplex eſt à ſpecie facta, ſed& organica, hoc eſt per conſtrictionem & dilatationem villorum factā p modum dictū quo partesin toto mouentur, prout expedit ſpecie boni percepta per phantaſiam. non ſunt autem hi motus & ordo inter membra abſque fine naturæ cognito, quanquam particularia membra ſimpliciter agāt. Interdum oblatum bonum nullo modo habetur, ſed ſeparatū eſt. appetitus nihilominus fit ad proſequendum, vnde animal ipſum ſeſe aut totū mouet ad bonū, aut partē aliquā vt manum, quo magis potiri poteſt. verū actio hæc
non

non ſtatim fit nato animali, ſed in quibuſdã longè poſt, & nõ niſi iam phantaſia habẽte experiẽtiam multorum motuũ vt lacertorum & aliorum ijs ſeruientiũ, quo pacto tandẽ progreſsio fit. quippe è paruis principijs & motibus ad maiores & demũ ad maximos peruenitur. tantus eſt cõſenſus partiũ & inter ſe & in toto. Porrò ſpecierum quæ vt bonæ recipiuntur, aliæ fiunt cũ abiectione contrarij, quod per ſucceſsionem quandã fit, & in tẽpore vt ſedatio ſitis, & vniuerſaliter primarũ qualitatũ receptio, aliæ momento, & ſine motu perficiũt vt viſio. quæ igitur cum motu accidunt & in tempore fiunt, delectare magis videntur, quia longior eſt voluptas, & diutius producitur. quæ verò momẽto perfici-

ficiunt, quaſi ſimul fiant & factæ ſint, delectãt minus. atq; hoc modo ſe habent quæ gaudiũ faciũt. quoniam autem & per phantaſiã & per intellectum homo apprendere & appetere bonũ poteſt, reliqua verò animalia per phantaſiam ſolum. appetitus quidem in homine, qui per intellectum fit, voluntas dicitur. qui verò tam in homine quã in alijs animalibus per phantaſiam fit, appetitus ſimplex dicitur. eſt autem & voluntas motus animæ ad conſequendum bonum per intellectum oblatum non autem habitum. conſultat quidẽ intellectus & ratiocinatur, & bonum oſtendit & eligendum, quo oblato ſi non habetur, motus fit animę ad conſequẽdum, quæ voluntas dicitur. Affectus porrò alius, qui ex gaudio

proficiſcitur, eſt amor vocatus. duo enim quum ad gaudiũ concurrant, receptio ſcilicet boni, & cauſa ſiue res, quæ bonum illud producit, ſi quidem conſideretur anima quatenus bonum recipit & apprehẽdit, ſic quidem ſimpliciter gaudet. ſi verò conſideretur vt & cauſam reſpicit quæ gaudiũ illud facit in ipſam, ſic quidem amior fit, hoc eſt deſiderium quoddam quo & illi rei bene eſſe optatur, qui amor vocatur. ꝙ enim amor eiuſmodi ſit, illud mõſtrat, quòd res illæ ſi bene habent, lætamur, ſi male, triſtamur. quapropter amor per ſe cauſam reſpicit ſecundum ſe, quæ gaudium facit quem affectum magis exprimit nomen beneuolentiæ. & ſimpliciter quidem non aliud eſt amor ꝙ beneuolentia rei qua gaudemus:
quòd

q̃ si rem illam in voluptatem nostrã vertamus, non amor est, sed libido: amor enim per se omnis purus est, & nihil aliud vult, nisi vt bene sit illi rei. quẽ amorẽ non solus homo, sed & alia animalia habẽt, quibus phãtasia & memoria inest, nam & filios ea tueri videmus, & ijs escas parare. propter quod & diuina res est amor, & à natura propter finem diuinum datus.

De Tristitia & Odio. Cap. 18.

SIcut igitur recepta boni & conuenientis specie, lętitia fit, ita recepta specie mali & dissentientis, tristitia innascitur. quæ propriè tristitia dicitur quum animal ipsum iudicat per phantasiam, quanquam etiam tristitia dicatur, & quum membrũ aliquod per se mali spe-

ciem recipit. eſt autem & in triſti tia appetitus ſuus, hoc eſt motus animæ, ſed hic eſt ad euitandum malum, qui eſt primus & ſimpli ciſsimus appetitus, qui in triſtitia fit. Sunt autem plures modi qui- bus animę malum euitat. primus eſt refugere quà poteſt, propter quod conſtringitur membrum. ſic enim ſecundum partes multas refugit, niſi intrinſecum ſit malũ tunc enim dilatatur, vt dictũ eſt. cùm verò conſtringitur ſi diu fer re eum ſitum non poteſt, tum aut motum facit compoſitum modo dilatando ſe, modo conſtringen- do, aut motu tremulo agitur. aut excuſsionem nocentis tentat, mē bro ſeſe repente, & impetu quo- dam laxãte. quod quidem in ſim plicibus membris ſine phantaſm motis naturaliter fit, eo modo,

quo

quo dictumest.in animali antem iudicante per phantaſiam maiori quadam eruditione fit, edocta iam phãtaſia plurium motuum. quis mõſtrauit Aſello rudiſsimo animali cùm pungitur pellẽ primò conſtringere, mox repẽtino quodam ac grandi conatu facto eandẽ laxare & diſtendere, ac per eum motum lędens excutere? nẽpe prius natura docuit cõſtrictionem facere recepto nocẽte, mox & eadem dilatationem docuit, partibus quę prius conſtrictę fuerant, nõ potentibus diu eo ſub ſitu ſtare. quorum motuum vbi ſemel edocta fuit phantaſia, tũ quaſi facta arte quadam & memoria prõptiſsimè eũ excusſionis motum operatur. operatur autẽ modo hocmodo alio ingenio, modo pedes admouẽdo, modo manus,

modo alia membra per quæ nocens abijcitur. quòd si nullo modo propellere, & amouere posse iudicet, animal ipsũ fugit & amouet sese à nocente. Sicut autem in gaudio erat & gaudium simplex & amor, ita in tristitia est & simplex tristitia & odiũ. tristitia quidẽ, quatenus anima sub recepto malo male habet, odiũ verò, quatenus causam respicit, cui male vult. est enim odium desiderium quoddã quo male optamus causæ, à qua tristamur. est autem & in animalibus omnibus aut perfectioribus sua maleuolentia, in quibusdam quidem cõspicua, in quibusdã obtusior. in quibus imperfecta quædam est phantasia. Sunt enim animaliũ quę solũ refugere à malo nouerũt, quædam verò quæ etiã repellere possunt.
hõ

hominũ autem alij natura triſtes ſunt, alij lætabundi magis. triſtes ſunt qui cõtrarijs reſiſtere minus poſſunt, lęta verò obire non ſunt idonei: lætabundi autem, qui & ad lęta aptiſsimi ſunt, & triſtibus maximè poſſunt reſiſtere. qui igitur pauci caloris ſunt & exãgues ac debiles vt ſenes & ægri, & conualeſcentes, parum reſiſtere contrarijs poſſunt, quare vt plurimum triſtes ſunt, porrò & hi, & qui melancholici natura ſunt, & amarioris ſanguinis ad læta minus idonei ſunt, quare nec ea vti læta recipiunt, vt ſpectacula, veneres, comeſſationes, conuentus, luſus, & id genus. ægri quidem & pauci caloris quia nõ poſſunt & diſpoſitionem nõ habẽt: melancholici verò quia ad cõtraria diſpoſiti ſunt. Iracundi verò

& ipſi non lętantur, quia ira non ſine triſtitia quadam eſt. qui verò optimè ſani ſunt, & multo abundant ſanguine, & eo quidem dulci & leni, nō acri & bilioſo & melancholico, ij quidem quòd & maximè reſiſtunt contrarijs, & quòd optimè diſpoſiti ſunt, omnia ferè aut vti lęta recipiunt, aut vti minus triſtia, quare & ad ſocietates, & cantus, & ſpectacula, & luſus, & alia id genus maximè proni ſunt. vnde & iuuenes, & pueri maximè gaudētes ſunt. alij præterea maximè amant, qui ſcilicet & læti natura ſunt, multa enim recipiunt vti grata, taliū autem eſt amor. alij parum amant, qui & triſtes natura ſunt, plurima enim odêre propter contrariā cauſam, quòd omnia ferè vti ingrata recipiunt, in ijs autē odiū

verſa

vesatur. Sunt porrò qui neminẽ fere amant. nam quemadmodũ inter animalia quædam sunt, quę reliqua ferè omnia odêre, & prosequuntur, vt serpentum genus, ita & inter homines quidã sunt, qui reliquos odio habent. quod & in gustu quoq; accidit. in quo dispositiones quædam inueniuntur, quæ edulia ferè omnia abominentur. Sicut igitur in his praua quædam constitutio est in lingua, & stomacho longè ab ea quæ ordinario, & vt plurimum fieri à natura solet, ita & inter animalium species, & inter homines ipsos censendum est, in quibusdã alienissimam ab eo quod vt plurimum est, constitutionem esse humorum & complexionis, per quas reliquos odio habent, aliæ his opiniones sunt, alij mores,

alius color, alius aſpectus, ſanguis eorum cęnoſus, turbidus, & quadam ſordida melancholia redundans, quibuſdam quidem frigens, quibuſdam exuſtus, qui & inſolentes ſunt, & ſuperbi, reliquos deſpectui habentes, ad ſeipſos omnia trahentes, inuidi præcipuè vtpote maleuoli, atq; ita ſe habent triſtitia & gaudium.

De Timore. Cap. 19.



Vòd autē & timor triſtitia quędam ſit manifeſtum eſt, omnes em̄ ex malo aliquo timemus. ſi igitur malum præſens iam ſit, & lędat iam, triſtitia ſimplex fit. Si verò præſens non ſit, ſed imminеat vt affuturum, tum timor vocatur & pauor fit. nihil enim aliud eſt timor, quàm triſtitia ex

im

imminenti malo. primum autem quod in timore fit, eſt fuga caloris introrſum: eius quidem qui extra cor eſt, verſus cor, eius autem qui in corde, in penitiſsima cordis. propter quod timentes & pallent, & tremunt calore deſerente membra. fit autem in timore maximè concurſus caloris ad cor & fuga, quoniam & laborat maximè cor. In ſimplici nanque triſtitia præſente malo in aliquo membro, phantaſia quidem fit euitandi malum in ea parte, aut per conſtrictionem, aut per motum tremulum, aut per excuſſionem, aut aliter. ipſum autem cor per ſe non laborat, at vbi ſpecies mali imminentis ad phantaſiam, & ad cor fertur, ipſum quidem per ſe laborat. quare maximè ad ipſum fit caloris cõcurſus.

fit

fit quidem interdum, vt & in simplici tristitia laboret cor, vt in nũtio cæsi filij in prælio, aut fugati exercitus & eiusmodi. verum differt & hoc à timore, quòd in timore simul cum tristitia semper anima videtur satagere & consilium quærere, vnde confunditur & tremit. in nuntio autem fugati exercitus sola tristitia fit. cuius signum est, quòd si nuntietur fugatum esse exercitum, adhuc tamẽ incertum sit, tremor simul & timor cum tristitia illa iungitur, eo quòd anima satagit & consilij confusa est, & nescit quid faciat. propter quod minus timent, qui consilium capiunt aduersus imminens malum. vnde& quum de improuiso imminet malũ, timemus magis.

Eorum autẽ quę timorẽ incu-

tere ſolent, multiplex eſt natura, vniuerſaliter autẽ quorũ miſtiones & naturæ contrariæ ſunt, & multũ diſsimiles, ſicuti per inimicitiam quandam & diſconueniẽtiam recipiuntur ab anima, ita & ſi ſub modo aliquo quo nocere poſsint recipiantur, timorẽ inferunt, miluo quidem & pullo gallinaceo inimica natura eſt: non timet autẽ miluus viſo pullo, ꝙ nihil ab ipſo lędi poteſt, pullus aũt contrà viſo miluo expaueſcit, ꝙ naturam eius vti inimicam & nocere potentem recipit. elephantis autem & equi natura cũ pullo nõ eſt contraria. videtur autẽ natura non fruſtra hunc timorẽ inſinuaſſe animalibus quo poſſent & fugere, & ſe tueri. quinimo, & propter hanc cauſam nõ ſolũ voluit formas contrarias formidabiles

esse, sed & certas figuras & motus sub quibus delata species timorē apportet, propter quod non solū verus miluus, sed & fictus similitudinem habēs gallinaceo pullo pauorem infert. Est autem animalium inimicitia interdum cū tota specie, interdū non cum tota specie propter certa quædā: qua de causa cum Psillis & Marsis nō ea serpentum inimicitia est, quæ cū reliquo genere, siue sit mistio ijs non omnino contraria, siue odor, siue aliud, per quod species minus ingrata accidat. quæ amicitia & inimicitia naturæ inter homines quoque versatur. propter quod alios sine causa odimus, alios amamus, propter modos cū quibus species rerū ad animā veniunt, qui sunt cōuenientia & discōueniētia. Formidolosa quoq;

ea ſunt, q̃ vti prorſus ignota pertingunt ad phantaſiam. dico autē ignota non quantū ad vniuerſale illud, quod cognitionem facit, vt color, ſonus & id genus: ſed quātum ad coniuncta, quæ ſub ipſo vniuerſali latent. cùm enim neſcimus quę ſint, & an bona, an mala tum ignotū illud pertimeſcit anima, ꝙ phantaſia fiat de ſublatēte atq; imminēte malo. ꝓpter quod & noctis, & ſolitudinis, & maris, & præcipitiorum imago & belli formidabilis eſt. omniū enim horū phātaſia fit, cōiuncti cuiuſpiā quod nocere poſsit, cuius ſignū eſt, quòd aſſuefacti nihil pręterea timemus, quaſi ſecuri. hac de cauſa ſępe expaueſcimus ex paruo lapilli caſu ſi impręuiſus accidat, & ſuperueniente nobis aliquo, vel etiā amico ſi de iprouiſo ſuperueniat

niat, timor fit, quòd nondum pa-
rata anima sit & nō cognoscat. re
autē cognita statim cessat timor.
eadem de causa in Ephialte quē
alij incubum vocāt, formido fit.
quoniam per somnū obstructis
neruis illis, qui ad pectus eleuan
dum veniunt, & prohibita dilata
tione illius, memoria subit eorū
quę solent eam dilationem prohi
bere, inter quę occurrit pōdus ali
quod nos opprimens: quare phā
tasia fit ponderis nos opprimen-
tis. hoc autem quum vti ignotū
offeratur, timor fit, facto autem
timore rursus memoria fit terre-
faciētium, inter quæ nobis occur
rit aut dæmon, aut quid simile,
antiquis autem Ephialtes gigas.
semper enī in somno ea primò oc
currūt, quæ maxima sunt in vno
quoq; genere. quare tandē phan-
ta

tasia fit dæmonis alicuius, aut alterius similis nos opprimētis, vnde excutimur præ timore. Sunt porrò magis & minus timorosa ea ad quæ magis & minus sumus potentes, alij scalas timent ascendere quòd minus agiles sint, alij nihil timent, quòd agiles sint, & alij ponti angusto cõmitti expauescunt, alij non. Timidi verò natura sunt, q frigidi magis sunt, quales mulieres, eunuchi, senes, & melãcolicorũ genus, cõtra verò audentes magis, qui natura sunt calidi & multi sanguinis & spirituũ. ea enim est optima animæ dispositio per quam ipsa maximè potest, & operatur & resistit. operatur autem & potest per calorem. quare quibus is est plurimus, & minus confundũtur in periculis, & semper consilium ca

piunt, & ſi pars ſanguinis & ſpirituum introrſum fugit, pars tamē multa relinquitur, quare nec tremunt, nec pallent ſicuti alij, & ſe tuentur. timidiores quoq; ſunt cæteris paribus, qui paucorū habent experientiam, multa enim ijs vti ignota offeruntur. propter quod pueris maximè infertur timor, experti verò & ſecuri & potentes diſtinguere cōiuncta cum rebus, pauciora expaueſcūt. Sūt tamen nonnulli qui quod experti non ſunt, quæ ſubſunt rebus, multa non timent, nōdum enim nouere pericula quę coniungi cōſueuere. propter quod & qui plura conſiderant, & plura experti ſunt, interdum magis timēt, quā qui ad pauca aduertunt, vt ebrij & qui natura ſimiles ebrijs ſunt.

De

De admiratione, & Ecstasi, & risu. Cap. 20.

SI verò nouũ aliquid vti igno tum offeratur, non tamẽ phã tasiã faciens imminentis ma li, tunc non timor fit, sed admira tio sola. nihil eñ aliud est admira tio, quàm suspensio animæ seu fi xio & applicatio intenta. nam & tenduntur nerui & calor ac vis omnis animæ ad id affigitur, vn- de & intentio vocatur. si igitur ignotũ illud vt simpliciter igno- tum offeratur, tunc inquisitio so la fit, id est applicatio animæ ad eam rem, & ad coniuncta cum illa, ad quæ mouetur de vno in aliud. quod quomodo fiat, diffi- cultatẽ non paruam habet. dixi- mus autẽ de eo in ijs quę à nobis de intellectiõe aliâs scripta sunt. Si verò quod offertur vti ignotũ

ſub ratione offeratur cuiuſdam magnitudinis conſueta longè ex cedentis, ſed rei tamen quam per opinionem veneramur & amamus, tunc ecſtaſis vocata ſit: hoc eſt mentis phantaſięq́; exceſſus quidam in admiratione. per quã ab omni alia re diſtracti ĩmotíq; reddimur, & ĩſenſitiui. quod maxime ijs accidit, qui aut verè ſancti ſunt, aut ſibi ex melãcolijs videntur. his enim & angelorũ choros & deos videre apparet. idem & amantibus interdum euenire conſueuit ex ingenti intentione in rem amatam. ſępe enim adeo magna eſt, vt ſpecies ea in phantaſia perinde moueat, ac ſi in oculis eſſet. nihil enim refert ad apparentiam faciẽdam ſiue ſpecies de foris veniat ad oculos, ſiue introrſum. propter quod videre ſe-

ſe putant, & obſtupeſcũt, & extra ſe fiunt. ſi verò res ſub ratiõe magnitudinis oblata ſit, ſed rerũ timẽdarũ, vt dęmonũ & maniũ, tunc affectus ſupra ecſtaſim fit. q nomen nõ habet, ſed ab effectu horror appellatur, horreſcimus enim & rigidi euadimus, admira tio enim tenſionẽ facit, timor fri giditatẽ, vnde quaſi cõgelati diſtentiq; neruos & pilos, immoti ſtamus. Noua quoque ea ſunt, quę riſum mouere ſolẽt. Verũ illud in primis ſciendũ eſt, lętitiã omnẽ cordis ſpirituũ & diaphragmatis dilatationẽ facere, horũ autẽ dilatationẽ dilatare & muſculos, qui à lateribus buccæ ſunt, ac facere motũ illũ oris, qui riſus dicitur. qui in natura finem aliquem habet, quo lętitia interna in facie manifeſtetur. qua de

causa quum aut amicis & familia ribus, aut filijs, & vniuersaliter charis occurrimus, præsertim si vti noui aduenient, ridere solemus, & lætitiam ostendere. verũ hæc non propriè ea sunt, quæ ridicula dicuntur. neque eiusmodi propriè risus est. Res autẽ quæ propriè risum mouẽt, sunt in primis nouæ, repentinæ, leues ac ludicræ, habentes argutiam quandam, & concinnitatem ad aliud. ab his enim maximè ridere solemus: quales sunt facetiæ, & quæ mimi repręsentant, & personati, & extranea quędam subitò ac cõcinno quodã casu facta, vt si quis ad negotia sua intentè pergens subitò labatur. hæc enim omnia vti noua offeruntur, & propter nouitatem subitam admirationem inducunt, repentina autem

esse

esse oportere monstrant facetiæ, quæ quum protenduntur & affe ctatè dicuntur, leporem & salem omnẽ amittunt. subito enim ferire volunt. leues autem res esse debent, alioqui si seriæ sint, nõ risum faciẽt, vt si qui minus est, sit pater, aut qui labitur, male afficiatur. porrò delectãt hęc, qm̃ argutiã habent & cõcinnitatẽ quãdam. oportet autem scitu facilẽ esse argutiam, alioqui inquisitionem faciet non risum. quę igitur eiusmodi sunt omnia, subitam & repentinam admirationẽ ac repẽtinam etiam delectationẽ faciũt. admirationem quidem, quia vt noua offeruntur, repentinã verò quia subito oblata, delectationẽ verò tum quia cognoscuntur facillime. delectat enim omnis cognitio vtpote animæ finis & per-
 fectio,

fectio, tũ quia appositã ad aliud concinnitatẽ habent, qua de causa & translatio delectare solet. delectatio autem omnis vtpote res læta expansionẽ cordis facit, hęc autẽ motũ oris, qui risus dicitur. quòd autem appositã concinnitatem habeant, quæ risum mouent, mõstrant & facetiæ, & mimi, & personati. facetia enim omnis arguta est, vnde & sales dicti sunt, mimi verò propter aptã imitationem maxime delectant. personati verò & ipsi imitantur. non omnes autẽ risum mouent, sed qui per noua quædam & extranea, quæ quatenus talia, admirationem primò subitã faciunt, mox delectant, si apta sit nouitas. est autẽ & in eo qui cadit & inopinatè labitur sua concinnitas, quæ delectat, aptissimè enim

detur fieri, vt qui intentè in rem ſuam pergit, repente labatur, nullus enim (vt dici ſolet) poterat illi accidere pulchrior caſus. quis non rideat, qui videat duos monachos ſup equo aliquo qui calcitret, & dicere illos patres velit, nimirũ appoſitiſsima res eſt, & facetiſsimus caſus. quòd ſi periculum aliquod graue ijs immineat, iã non riſus fiet, ſed timor & pietas, quoniam res ſeria fit, non amplius iocoſa & ludicra.

Eſt autẽ riſus compoſitus ex admiratione & lętitia motus propter quod & quædam contrà nitentia in riſu eſt, admiratio enim ſuſpenſionem quandã in anima facit, lętitia verò expãſionẽ, qua è re fit vt quum producitur riſus, non ſine moleſtia fiat, q̃q̃ & alia quoque cauſa coniũgatur, quòd

non debitè perflatur cor in illa quasi continua expansione existens. Assimilatur autẽ risui & is qui ex titillatione contigit, cõpressis capitibus lacertorũ quorundã & neruorum, vt coxarum & plantæ pedis, & subalarũ. non est autem propriè risus, sed assimilatur. quoniam & ille mistus est motus ex suspensione & dilatatione cordis repẽte factis. quod accidit non quomodocũque cõpressis, & tactis lacertis, & neruis illis, sed leuiter tantum & per summa, ac subitò pressis & subitò etiam dimissis, atq; ita alternatim dimotis. ex primo enim contactu & leui pressione quidam veluti horror repentinus accidit, qui ad diaphragma & cor ptingens, repentinã cõtractionẽ & suspensionẽ animę facit. mox subi-

tò

tò etiã dimiſsis neruis illis, ſubitò etiã ceſſat horripilatio, & cor ad ꝓpriã naturã redit. quod cũ delectatione & gaudio fit & dilatatiõe. eſt autẽ tam ſubitus vterq; motus vt ſimul pene ſint ſuſpẽſio aĩæ & dilatatio, qđ & in riſu quoq; cõtingit. ꝓpter qđ & hîc quoq; proportionale quiddã riſui cõtingit nõ ſine moleſtia quadam, nemo autem ſeſe ipſum titillat. quoniã ſubita quædã horripilatio eſt, quod titillare dicimus. Subita autẽ fit titillatio & repẽtina quũ aĩa imparata, & nõ aduertẽte cõtactus fit. at ſeſe tãgẽte aliquo ſemꝑ parata & aduertẽs anima eſt, alio vero tangente etiã ſi aduertere velimus, horror nihilo minus fit, quia tã cõtinua nõ eſt animaduerſio illa, vt tamẽ nõ tãgatur tãquã de improuiſo. cuius ſig-

ſignum eſt, quòd ſi intentiſsimè, & obſtinate aduertamus aut titil lationē non ſentimus, aut minorem. idem accidit & ſi quis capillum alteri vellicet non aduertēti, ſubitò enim horreſcit, quod nemo patitur ſibi ipſi capillū vellicans. Sunt autem alij ad riſum promptiſsimi, alij duriores. duo enim in riſu ſunt, admiratio ſubita rei nouæ & ludicræ, & delectatio. qui igitur facillime admirantur, ij ex cauſa hac aptiores ſunt ad ridendū. propter quod pueri maximè & mulierculæ, & plebs facillime ridere ſolent. grauiores autem & ſeueriores vt viri, & ij quidem philoſophi, minus in riſum ducuntur. porrò qui læti natura ſunt, aut ex accidēti aliquo facilius in riſum mouētur, facillimè enim lętis afficiuntur proper diſ-

diſpoſitionẽ.quare per naturã iuuenes, & optime ſani, & qui ſanguinẽ plurimũ habent, & eum dulcem non biliosum, non melãcholicum, maximè ridere ſolẽt. ex accidentibus verò diſpoſiti quoq; ad riſum ſunt, qui in lætitia quaſi ſunt conſtituti, vt ebrij, & quibus multa adſunt eorum, quæ lęta dicuntur ſi noua ſint. quare & qui in conuiuijs ſunt inter famliares & amicos, quãplurimum ridere conſueuere, imò ſępe adeo effusè ridẽt, vt continere non poſsint riſum & incontinentiæ notentur. cauſa eſt (vt Ariſtoteles ait) quòd ipſa lætitia quaſi riſus quidam eſt, & ij quodãmodo in motu ſunt ſemper. res autẽ in motu poſita adeo prõpte impellitur vt cõtineri nõ poſsit. Cõtra aũt qui aut natura, aut ex accidenti

cidenti aliquo triſtes ſunt, vt melancholici, & quibus amarior eſt ſanguis, & ęgri, & iracundi nõ facile ridere ſolent, quoniam delectari non poſſunt, vnde & aliqui viſi ſunt qui nunquã riſere, vt de Philippi imperatoris filio legitur. qui ob id agelaſti appellantur. nunc de Ira dicamus.

De Ira. Cap. 21.

QVòd igitur quicũque iraſcitur, ex offenſa aliqua iraſcatur, manifeſtũ eſt. Cognoſcitur autem offenſa, & p intellectum, & per phantaſiam. iraſci autem cõe eſt animalibus, omnibus, aut pfectioribus, quare & ijs per phantaſiam accidit, quatenus cõmune eſt, iraſci. non eſt autem ira, quum non iudicante animali ipſo, membrum aliquod recepto nocente, aut conſtrin-

ſtringitur, aut etiam nocens expellit: ſed tum ſolùm, quum animal ipſum iudicat. porrò nec ſi animal recepta mali ſpecie phãtaſiam faciat, aut ſe contrahendi, aut aliter cauendi à nocẽte, aut etiam propulſandi, quatenus ſeſe à malo defendat, iraſci ipſum dicimus. neque enim aut in tuſsi, aut ſternutamẽto ira moueri animal dicimus, niſi communi quadã appellatione. quare tum ſolũ iram vocamus, quum & odiũ fit in rem, quæ offendit. nec ſolum odium, ſed & appetitus nocendi illi, & quodammodo vlciſcendi iniuriam. quod quũ per mẽbra exteriora fiat, vt per manus aut pedes, aut cornua, aut dentes, & id genus alia, quibus natura animalia armauit, neceſſarium animę eſt vires colligere, ac mox de

mandare ad ea membra, quę age re debent. primũ igitur quod fit in ira, appetitu nocendi oborto, eſt collectio caloris circa cor, vbi ſedes animæ & vis eſt. propter quod rectè aiunt eſſe irã ſanguinis ebulitionẽ. hoc enim primo fit, mox niſi quid impediat, trãſmiſsio etiã caloris collecti fit ad partes, quæ nocere paratæ ſunt. prohibent autem quædam ſæpe trãſmiſsionem, vt aut timor maioris periculi, aut iudiciũ, quòd fruſtra id fiat, aut ratio & eiuſmodi alia. Sed hæc accidunt. quare ira p ſe eſt appetitus nocẽdi cauſæ nos offendenti, ex quo collectio caloris fit circa cor, & tranſmiſsio eiuſdem per ſe ad partes, quæ nocere habent. nocent autẽ animalia nunc per has, nunc per illas partes, vt cuiq; prõptius eſt.

at homo quum non aliter nocere poteſt, lingua iram conceptã mõſtrat, aut iurgijs, aut imprecatione mali, aut & blaſphemijs in Deũ. quem cauſam eſſe omniũ, quę fiunt, in opinione hominum eſt. Sunt autem alij promptiſsimi quidem ad iraſcendum, tardi autem ad proſequendam vindictã. alij verò tardiores quidem ad iraſcendum, prõptiores verò ad ſumendam vindictam, alij ad vtrũque promptiſsimi, alij ad vtrunque tardiſſimi. qui igitur triſtes natura ſunt, & omnia ferè per diſplicentiam recipiunt, vt ægri & malè affecti, & ex alijs cauſis irati, & quibus bilioſior eſt ſanguis, & melancholici, omnes quidem hi quòd ex omni cauſa facillimè offenduntur, facillimè iram concipiunt. tardius autẽ exequuntur

quicunq; ex his timidiores sunt, & pauci sanguinis & frigidioris, tum verò & prudētiores, & rationi parentes magis. Contra verò qui bene valent & multi sanguinis sunt, & lenioris, serius quidē irascuntur & non facilè, quia oīa ferè vel vti læta recipiunt, vel vti minus tristia, at vbi de offensa iudicium fecere, tū promptissimè iram effundunt, & vlciscuntur. ad vtrumque verò impigri sunt, quicunque calidi quidem sunt, & multi sanguinis, sed biliosi, & amari, aut exusti melācholici, prę cipue autem & irrationales, & superbi. superbi enim ex omni iniuria vel leui magnam iram concipiunt, quòd iniuriam non metiuntur, quanta per se est: sed quā tus ille videtur, cui illata est. tardi verò sunt ad vtrunq; frigidi natura

tura, ſed mites tamen, & ingenij haud peruerſi. atque hi obliuiſcũtur etiam iniuriarum. quod non ij faciunt, quibus craſſus & fibroſus eſt ſanguis, qui'ue inuidi ſunt & ſuperbi & praui ingenij.

De Verecundia. Cap. 22.



Erecundia autem eſt triſtitia de defectu proprio in præſentia alterius, propter quam ſit motus ſanguinis & caloris ad eas partes, quæ laborant maximè. laborat autẽ maximè facies in prę́ſentia alterius, qui iudicet defectus noſtros, propter quod & erubeſcimus, & demittimus oculos in pudore. triſtamur igitur & dolemus ob defectũ propriũ (vtpote malũ). nihil autẽ refert ſiue actu

fiat defectus ille, siue factus fuerit aut immineat. omnino enim tristamur, & si nemo sit præsens, tristamur solũ, si verò alius, aut plures præsentes sint, non tristamur solùm, sed propter præsentiã laborat facies, quasi ferre non potẽs præsentiam eius, qui nostrum defectum videt. propter quod natura quasi opem latura illuc calorẽ mittit, calor etiam sanguinẽ trahit, vnde rubemus, quod in adolescentibus signum bonũ dici solet. signum est enim ingenui animi, cui cura sit defectus proprij, & corrigi sit sperandum. in sene autem verecundia laudari non solet, vtpote qui factus senex correctus tamen non sit, & virtutẽ non habeat. qui igitur arrogãtes sunt, & sibi plurimum tribuunt, cæteros contemnunt, & nihili habẽt.

quiq; ſcelerum & defectuũ proriorum curam nullam habent, hi ſolent inuerecũdi eſſe, propter quod impudentes cum exprobatione quadam nominantur. Sunt tamen qui inuerecundi ſunt, vel quòd ad defectus proprios non aduertunt, vel non cognoſcunt. Timidi verò, & qui alios nonnihili faciunt, defectuum autẽ propriorum curam gerentes, & aduertentes, magis ſolent verecundia capi. atque hęc quidem de affectibus animi & eorum cauſis & ſympathijs, ac antipathijs dicta ſint per tranſcurſum.

De alijs quibuſdam conſenſibus phantaſiæ. Cap. 23.

QVoſdam præterea conſenſus habet phantaſia, quum à memoria quorũdam mouetur, aut valdè intenta

eſt. quippe alio oſcitante, & nos pariter oſcitamus, ſi non aduerterimus, quod fit excitata memoria alterius ab oſcitatione, tum & facto repente & inaduertenter appetitu eiuſdem quod alias anima vti bonum agnouit, vnde & nos ſimul oſcitamus. nihil enim refert ad faciẽdum eum motum an vapores aliqui pigri ſuper muſculis ſint, vnde appetitus fiat excutiendi, an alio modo, & ex memoria innaſcatur idem appetitus. idẽ enim omnino fit. innaſcitur autẽ non aduertẽtibus nobis facta memoria. aduertentibus autem non innaſcitur phantaſia rectum iudicante. ſimiliter & edẽte alio acerba quædam, memoria fit & appetitus conſimilium. omnis autem appetitus animã mouet, & calorem. anima autem, quæ in membro

bro eſt, quod appetit, quaſi ſibi deficiat aliqd in eo, ſuggerit proportionale quiddam aut ſaliuam aut quod melius iudicat. ſicut & in veneris phantaſia, appetitu facto intenditur virga ſuggerente anima plurimum ſpiritus, & dolente mēbro calor & ſanguis concurrit. ad quę ſi rectè reſpiciamus impoſsibile non exiſtimabimus quod de p̄gnātibus dicitur, remanere, ſcilicet in fœtu ſigna quorūdam, quæ ipſæ auidiſsimè appetiuere. ſiquidē facta ingenti quadā phantaſia & appetitu quorundā, anima ex ijs, quę in corpore ſunt proportionale aliquid mouet prę cipuè in ſanguine. ex quo quum nutriatur fœtus nihil prohibet ſigna quædam eius alimenti ita affecti in eo remanere, præſertim coloris. propter quod ea ſigna ru

bētia ferè omnia ſunt, & exuſtionem aliquam in ſanguine factam oſtendentia. Fortaſſe autem & figura cupitæ rei oſtenditur, quòd in eo proportionali anima etiam figuram mentiatur. Eadem porrò phantaſia intenta, poteſt & faſcinum inferre, nō quidē ab vnoquoq; hominum, ſed à certis ſolum, quorū humores & ſpiritus adeò remoti ſunt à natura aliorū vt penè venena ſint. ij igitur cōcepto in infantem odio intentiſsime intuentes, ſpiritus quoſdam ex oculis, & tota è facie eiaculantur, qui ad teneros infantis ſpiritus appliciti, eos vti venena ſenſim abſumunt. ex oculis autē & toto è corpore euaporare inſenſibilia corpuſcula mōſtrant, ſpecula in quæ mēſibus laborantes mulieres inſpectāt, ſpurca eñ & ſqualore

lore quodam ac ſitu obſita reddũtur. legimus & familias quaſdã fuiſſe in Creta, qui laudando faſcinum inferebãt. quod certè vti poſsibile recipiendũ eſt. exiſtẽte enim natura quorundã (vt dictũ eſt) perinde ac venenoſa, & eiaculatis ex oculis eorũ ſpiritibus perniciosis, nihil prohibet non infantes ſolùm ſed & grandiores faſcino affici, laudando autem maximè. quoniam laus propria lætitiam parit, lætitia autem vt diximus dilatationem tum cordis, tũ & ſpirituum facit, tum & totius faciei, & præcipue oculorum, vnde additus quodammodo aperitur veneno, quod à faſcinatore eiaculatur. qua è re fortè enatũ eſt illud, quod præfamur cũ aliquos laudare volumus, bene eñ prius ominantes, verba noſtra dicimus

tibi nõ noceãt. quin & aliqui sũt, qui dum laudantur, faciem auertunt, non tantum vt indicent molestam sibi esse laudationem, sed vt à fascino caueant. iam enim in opinione est per laudationes fascinum fieri. Vtrum autem & numeri quidam & figuræ, & imagines sympathias quasdam, & antipathias habeant ad amores & odia, & fascinos, & vtrum verba & cantationes, & id genus ligent & soluant, alterius quidem est, & tẽporis, & contemplationis. De ingenio autem eorum animalium quæ intellectu carent, & quomodo nidos ad alendos fœtus & telas ad capiendas escas tam artificiosè fabricentur, & alia eiusmodi, nonnulla quidem diximus in ijs q̃ de intellectione à nobis scripta sunt, nõdũ autẽ emissa, neq;
pla

planè exculta & digesta. quod faciemus si vita & otiũ suppetet nobis. atq; hæc de sympathia & antipathia rerũ, quantũ attinet ad cõtagiones pro tempore dicta sint.

De quibusdam dubijs à Rhamnusio scriptis. Cap. vltimum.

HAEC, cùm iã impressa essent, ac visa à Ioãne baptista Rhamnusio Illust. Vene. Dominij Secretario vtriusque linguę peritissimo, & eorum quæ ad bonas literas & disciplinas attinent, multa perdocto, gratulatus ille pro vetere amicitia nobis, simul & nonnulla dubia ad nos perscripsit, & nouas quasdam sympathias proposuit. quarum rationẽ si otium mihi foret, expostulabat. digna quidem omnia, de quibus consideratio haberetur diligentissima. nã quum

ego

ego causam, quòd in nauigatoria pyxide perpendiculũ semper in polum spectet, retulissem in mõtes ferri & magnetis, qui sub polo sunt, dubitationem ille non negligendam attulit. primum quidem ꝙ qui de subiectis polo partibus scribunt, nulli dicunt montes ferri, & magnetis sub polo esse, deinde ꝙ & si dentur ij mõtes: causa tamen ad eos referenda nõ videtur in nostro mari: quãdo cõstet in Ilua insula iuxta Populoniam Italiæ esse magnetis montes. inde enim erui omnem magnetem quo hic vtimur, nec tamen nauium illàc prętereuntium perpendicula ad eos montes verti. oportere autem ita fieri, si magnetis species perpendiculũ mouet. propinquissimis existẽtibus insulæ illius montibus. cur enim
non

non magis moueāt, quàm qui remotiſsimi ſunt ſub polo?

Ad hæc autem & miras quaſdā propoſuit antipathias, quarū vna erat, qui fiat vt impoſito oleo in charta, ita aptata vt contineat, ſubiectus ignis oleum quidem calefaciat, chartam autem non. alia erat conſimilem habens rationē, cur & circa pomum circumuoluto tenui linteo, pomum ab igne calefieri cernamus, linteum nec quicquam lędi. Addebat autem & ꝙ à fulmine nauium malos ſępiſsime videmus tāgi, carinas autem nunquā. Tum & illud quoq; quęrebat, quę ratio efficiat, vt feruente, & exūdante in ahenis ſaccaro ſi butyrum quanuis modicū imponatur, ſtatim ſubſidat feruor. quo ingenio vtūtur artifices ad prohibendū ne erumpat ſaccarum.

rũ, vtuntur & alio ingenio ad idẽ purificandum, quod pariter videri mirũ poteſt. vbi enim coagulari ſaccarum incipit, proijciunt in vocatas campanas, tum cretam tenuem cicotriconizãt, ac ſuper imponunt, qua campanę oſtium patet craſsitudine digiti. atq; ita ſaccarum purgãt, ſurculis omnibus & feculentia omni ad cretã attracta. Hæc ſunt quæ ille nobis examinanda propoſuit. quod quidẽ faciemus à ſupraſcripto inſtituto noſtro non recedẽtes, vt non proprias & propinquiſsimas cauſas aſsignare nitamur, ſed medias & proprijs proximiores, quo poſsibile nobis ſit. Primùm igitur vtrũ ſub Polo ſint magnetis mõtes, nec ne, ſub ambiguo relinquamus. ſcimus enim eſſe qui ſcribãt planas magis eſſe eas regiones, de

quo

quo& doctissimus,atq; eloquētis
simus Episcopus Iouius circa eā
Sarmatię partem,quę Moscouia
nunc dicitur,diligentē inquisitio
nē ab incolis fecit,qui ne eos etiā
inueniri mōtes retulere,qui Rhy
phei ab antiquis dicti sunt.memi
nimus tamen nos quasdē chartas
vidisse earū,quas mundi mappas
appellant,in quibus sub polo mō
tes notati erāt (qui magnetis mō
tes inscripti fuerant). siue igitur
sint,siue nō sint,ij mōtes,nihil ad
nos in præsentiarum attinet,quā
do p mōtes polo subiectos,cathe
nā illam mōtiū intelligimus, qui
ad septentrionē spectāt tanti & tā
vasti,ac ferri & magnetis feraces.
qui & si magis distāt à nostro ma
ri,q̄ Iluæ insulæ montes, poten-
tiores tamen sunt ad mouendum
perpendiculū propter abundātiā
&

& copiam ferri, & magnetis. Fortaſſe autem & qui in Ilua eſt magnes, nō multæ actionis eſt in ea minera. multi enim dū in minera ſunt, minus valent, quā extracti, ꝗ ſpirituales ſpecies ſua habeant impedimenta. ſignum autē parū valere in ſua minera Iluæ inſulæ magnetē, ꝗ tam propinquus cū ſit nauigijs illàc prætereuntibus, perpendiculum tamen non ad ſe conuertit. Incaleſcere autē & feruere in charta oleum, chartā non accendi, communem habet rationem cū lebete. In quo aqua quidem feruet, lebetis fundus friget: & pomo, quod & ipſum calefit linteo illæſo. Horum autem omniū cauſa eſt antipariſtaſis. frigida enim ſunt aqua, oleum, pomum, propter quod prohibēt intermedium calefieri. Sed quomo

do calefiunt ipſa, ſi mediũ nõ calefit? actio enim omnis contactu fit, ignis autẽ non tangit aquam, oleum, pomum, niſi per intermedia, lebetem, chartam, & linteũ. hæc autẽ niſi calefiant, ac tantũ calefiant quantũ aqua, & oleum, & pomum, nõ videtur quomodo calefieri poſsint. quòd ſi calefiãt, quo pacto igitur per antipariſtaſim & frigiditatẽ prohibẽt, ne intermedia incaleſcant? Dicendũ pororis exiſtentibus lebete, charta & linteo, citiſsimè calorem cõtrahere aerem, qui in poris includitur, ac per ipſum incaleſcere aquam. porrò quicquid aquæ calefactum eſt tolli ſtatim, & aſcendere, ac loco eius ſubſidere aquę partem nihil calefactam, quæ lebetem infrigidat, qua pori non ſunt, atq; ita continenter fieri, vt

aquæ pars cedat, & tollatur, pars ſuccedat, & refrigeret, ita & oleũ facit, nam & ipſum actu frigidũ eſt, ita & pomum, quoniam humidum eſt. & frigidũ, & ſemper pars eius aliqua frigida tangit intermedium, ac calefieri prohibet per certum tempus. Cur verò fulmen nauium malos tangat, carinas autem & ſpondas, quæ iuxta aquam ſunt, nõ, dubitationẽ maiorem habet, ſi modo verum eſt, quod fertur. nã & de lauro traditur non feriri ipſam à fulmine, quod nõ ſatis certũ eſt: eo autem recepto, quòd res ita ſe habeat, promptior quidẽ poteſt eſſe ratio in naui quàm in lauro. nã antennas feriri à fulmine facile eſt, quòd altæ ſunt, alta autẽ à fulminibus peti in prouerbio etiã eſt. cauſa autẽ eſt, quòd fulmẽ vapor

eſt quidã miſtionis fortis, qui in altis gignitur, & extruſus è nube in latus acquirit impetũ. quare alta maximè ferit. Interdũ tamen impetus in ima inclinat, verũ vbi antipariſtaſim inuenit aut frangitur, aut & repellitur, dictũ eſt em̃ suprà contrariorũ ſpecies fugare cõtraria. Igitur iuxta aquas quũ deſcendit vapor, partim quidem frangitur partim repellitur, quoniam aer aquis vicinus plenus eſt vaporibus frigidis ex aqua eleuatis, qui tum materiali antipathia, tum ſpirituali frangunt, ac repellunt fulmẽ. quare carinas & proximas ſpondas, aut nõ tangit fulmen, aut fructũ non immutat. in lauro autem vtrũ talis antipathia ſit, incertum eſt: illud magis in cauſa putarim, quòd laurus rotunda admodum eſt, & corticis

densi ac læuis, à quibus omnibus fit, vt incidens vapor non inhæreat. propter quam rationem nec columnas à fulminibus tangi videmus, quòd rotūdę tersęq; sint.

Butyrū autē iniectū cōpescere feruorē saccari, dignā habet inquisitionē. Idem verò & oleum facere videmus in pulmenta, si qua corpulentiora sunt, vt in fabę & ciceris lomēta. feruorē em̄ & exundātiā eorum compescit. horū autem causa est, quòd duo pręcipue cōcurrunt, quū feruor exundans fit, alterum est excessus caloris, & vaporū copia breui facta, alterum est obsistentia feruentis rei, si corpulentior sit. multū enim extēditur & in magnas ampullas, priusquā scindatur. ꝓpter quod & dupliciter etiam cō pescitur exundantia illa. vno mo

do

do ſi calorem & vapores frangas qui extendũtur, quod fit iniectis frigidis vt aqua, alio mõ ſi ipſum obſiſtens, ita prępares, vt extendi in magnas ampullas non poſſit. quod faciunt vnctuoſa iniecta, diuiduntur enim ipſa ad minimas, & nõ vltra diuiſibiles partes, quę intermiſtę partibus corpulenti humidi, prohibẽt extenſionem amplam fieri. extẽſio eṁ rarefactio quędã eſt. rarefieri autem non admodũ poſſunt minima vnctuoſi, tum quòd minima ſunt, tũ quòd tenacis miſtionis, quare quũ vndiq; interpoſita intermiſtáq; ſint obſiſtenti, faciunt vt nec ipſum obſiſtẽs recipere extenſionẽ poſsit, niſi paruã, & per paruas ampullas factã, quare exundantia cõpeſcitur, & feruor fit per ampullas crebras & paruas.

vnctuosa autem sunt præcipuè oleum & butyrum, & bene diuisibilia in minimas particulas: at butyrum cum saccaro probè cōuenit propter dulcedinis, & pinguitudinis sympathiam, quare & si modicum sit, sufficit tamen ad compescendam exundantiā saccari, quoniā bene miscibile est, & modicum omne in multa partibile. Creta verò imponitur supra campanæ ostium, non quòd ipsa attrahat fœculēta, sicuti magnes ferrum. Sed quòd prohibēdo exhalationem inclusi ignis & vaporum fit, vt penitissimè vapores permeent per saccarū, qui mox ascendentes secum ferunt agglutinatas omnes sordicies, & sursum impellunt, quæ herentes cretæ propter tenacitatem sic red dunt purū & sincerū saccarum.

Si

Si igitur per hæc & doctissimo Rhamnusio, & alijs factum est satis, tibi præsertim Cardinalis amplissimè, mihi quidem & gaudeo & gratulor: si autem & alia desiderantur, excusabit me horum cõsensuum & dissensuũ natura, quæ adeo in abdito est. Si qui verò laborem nostrum cõmendabunt, aditúmque & viam per nos apertam his rebus fatebũtur, id omne debebunt tibi.

DE CONTAGIONE, Liber Primus.

Quid sit Contagio. Cap. 1.


VNC aũt de contagione proſequamur, cuius gratia tot de ſympathia & antipathia rerũ quę ſita ſunt, ab ijs incipientes, quæ vniuerſalia magis videtur, & aliorum principia. quòd igitur contagio ſit quędam ab vno in aliud tranſiens infectio, vel ipſum nomẽ oſtẽdit. in duobus enim ſemper contagio verſatur, ſiue illa duo diuerſa ſint, ſiue duę continuę vnius partes. verùm quę inter diuerſa fit, ſimpliciter & propriè contagio dicitur, quę verò inter duas vnius partes, non propriè, ſed quodammodo. videtur autem & conſimilis eſſe vtroque infe-

infectio, & cui contagio fit, & à quo.tum enim contagionem factam dicimus, quũ ſimile quoddam vitium vtrũque tetigit. quã ob rem qui hauſto veneno pereunt, infectos quidem fortaſſe dicimus, contagionem autem accepiſſe, minimè. & in aere quæ ſimpliciter putreſcũt lac, & carnes, & reliqua, corrupta quidem vocamus, non autem contagionem paſſa, niſi & aer ipſe corruptus conſimiliter fuerit. de hoc autem diligentius in ſequẽtibus inquiremus. videtur autem actio omnis & paſsio aut circa rerum ſubſtantiam fieri, aut circa accidentia, contagionem autem accepiſſe quempiam non appellamus, quòd calefactus ab alio fuerit, aut factus vitioſus, niſi per trãſumptionem. quapropter vi-

detur contagio, consimilis quædam infectio secundum substantiam. vtrum igitur quum domus incendio vicinæ ardet, contagionem vocemus? at certè neque hęc contagio est dicenda, nec in vniuersum quum totum ipsum corrumpitur, primo secundũ quòd totũ est, sed tũ magis, quũ in particulis minimis & insensibilibus quædam infectio fit, & ab illis incipit, quod & nomen infectionis ostendit. infectum enim vocamus non corruptum qua totum est, sed quodammodo, & circa insensibilia. totum autem voco, ipsum compositum, particulas verò minimas & insensibiles voco eas ex quibus compositio fit & mistio. exustio igitur circa totũ ipsum fieri videtur, contagio autem circa particulas componentes

tes, quanquam & ab ijs mox corrumpatur & totum ipſum. propter qđ & miſtorum paſsio q̃dã videtur contagio. quoniam autem dupliciter corrumpuntur & intereunt miſta, vno modo per aduentum contrarij, ſub quo cõſiſtere non poteſt eorum forma. alio modo per diſſolutionem miſtionis. vt in putrefactis contingit, dubitationem fortaſſe habet vtro modo cõtagio fiat, infectione in particulis minimis illata, ad hæc autem & qualis nam ſit hæc infectio, vtrum corruptio earum particularum, an alteratio ſola, & quid demum patiantur. quare & illud poteſt dubitari, vtrũ contagio oĩs ſit putrefactio q̃dã. quę omnia manifeſtiora quidẽ fient, ſi contagionũ differentias primas & earum cauſas

in

in primis perquisiuerimus. nunc si licet aliquo modo contagionis rationẽ subfigurare, dicemus cõtagionem esse consimilem quandam misti secundũ substantiam corruptionẽ de vno in aliud trãseuntem, infectione in particulis insensibilibus primò facta.

De prima contagionum differentia. Cap. 2.



TRiplex autem videtur esse prima contagionum omnium differentia. alia enim cõtactu solo afficiunt, alia præter hoc & fomitem quoq; relinquunt, & per ipsum contagiosa sunt, vt scabies phthisis, areæ elephantiasis, & id genus: fomitẽ appello, vestes, ligna & eiusmodi, quę incorrupta quidẽ ipsa existentia, conseruare nihilominus

apta

apta ſunt contagionis ſeminaria prima, & per ipſa afficere. nõnulla porrò ſunt, quæ non contactu ſolo, non ſolo fomite, ſed & ad diſtans etiam transferunt cõtagionem, vt peſtilẽtes febres & phthiſis, & lipitudines quædã, & exanthemata illa, quæ variolæ vocantur, & ſimilia. videntur autem ordine quodam ſe habere hæc, nã quæ ad diſtans faciunt contagionem, ea & fomite & contactu afficere conſueuere. quę verò fomite contagioſa ſunt, eadem & contactu contagioſa ſunt. ad diſtans autem nõ omnia, at contactu omnia. quapropter & ſimplicisſima eſt, & natura prior ea cõtagio quę ſolo cõtactu afficit, quare & de ea primò agemus, inquirẽtes quomodo fiat, & per quod principiũ, mox & de alijs, vt videamus

mus

mus an omniū sit cōmune quodam principium, an diuersum in singulis, & quid propriū habeat vnaquæq;.

De contagione, quæ solo contactu afficit. Cap. 3.



Idetur autē quę inter fructus contagio versatur, maxīe eiusmodi esse, quæ solo contactu afficiat. vt vuę ad vuam & pomi ad pomū. quare quęrēdum est, quodnam eius infectionis principium sit. ꝙ enim tangētia sese isthæc afficiantur, marcescente aliquo illorum primo, manifestum est, quo autem principio, non manifestum. quoniam autem primum, vnde omnis infectio in alia trāsit, putrefactum fuit, censendum est, & secūdum quoque cōsimiliter putrefactionem

nem concepisse, si quidem conta
gio consimilis erat in vtroque in
fectio. est autem putrefactio quę
dam mistionis calido innato eua
porante, atq; humido. eius verò
euaporationis principium sem-
per est aliena caliditas, siue ea in
aere sit, siue in circunfuso humi-
do. igitur quod in vtroq; est prin
cipium putrefactionis, idem &
contagionis principium erit, ca-
liditas scilicet extranea. sed ea in
primum aut ex aere accesit, aut
ex alio, & contagio nondum di-
citur, in secundum autem acces-
sit ex ijs particulis insensibilibus
quæ euaporant è primo, & iam
contagio est: quoniam similis est
in vtroque infectio. potest au-
tem euaporans è primo calidum
in secundum facere quod aer
in primum, & similiter putre-
face

facere, imò magis propter analogiam. Quoniam autẽ quę euaporant è primo particulæ, aliæ quidem ſunt calidæ & ſiccæ, vel per ſe vel ex cõmiſtiõe, aliæ ſunt calidæ & humidæ ſimiliter vel p̲ ſe, vel ex cõmiſtione. videntur q̃ calidæ ſunt & ſiccæ, aptæ quidẽ exurere magis, putrefacere autẽ minus. q̃ verò calidæ & humidæ ſunt, è cõtrario putrefacere aptæ magis, exurere verò minus. humidum enim partes eius, quod tã git, emollit, ac laxat, beneq; ſeparabiles reddit. calidum autem ſurſum tollit ac ſeparat, vnde diſ ſolutio miſtionis fit euaporante calido & humido innato, quæ putrefactio erat. quapropter exiſtimandum eſt calidas, & humidas particulas aut per ſe, aut ex commiſtione humidas, quæ euapo-

rant è primò, esse principiũ & seminariũ eius putrefactionis, quæ in secundo fit, dico autem humidas ex cõmistione, quoniã in euaporationibus quę contingunt in putrescentibus, misceri vt plurimum accidit particulas minimas ac sic principia fieri tũ generationum quarũdã, tũ & corruptionũ nouarũ. aptissima autẽ est ad putrefactiones & contagiones inferendas ea cõmistio, quę è calidis fit cum humidis. in fructibus igitur, quę contagio accidit per hęc principia fieri putãdũ est. at verò & in alijs quoq; omnibus, quę putrescentia sese tãgunt, si analoga sint, idem euenire: & per idẽ principium existimare par est. principiũ autem sunt particulæ illæ insensibiles: quę euaporant, calidæ quidem, & acres sed humidę cõ-

miſtione, quę deinceps ſeminaria contagionum dicantur.

De cõtagione, q̃ fomite afficit. C. 4.


Trum autẽ & ea quæ per fomitem contagionẽ affe runt per hũc modũ & per idem principium fiant, dubitatio nem habet. quoniã principium quod eſt in fomite alterius naturæ videtur eſſe, ſiquidẽ vbi in fomitẽ ſeceſsit à primò infecto illic diutiſsimè perdurare ſeruariq; incorruptũ poteſt. vt admirationẽ nõ paruã præbeãt, quæ & phthiſici & peſtilẽtes tetigere, lectuli, veſtes, ligna, & id genus. ſæpiſsime enim vidimus virus illud per duos & tres annos ſeruatũ. at pticulæ q̃ è putreſcẽtibus euaporant nullæ tã diu perdurare poſſe vidẽtur. ſed profecto propter hãc cauſam nemo putare debet, nõ idẽ eſ

ſe

ſe pri͂cipiu͂ quod in fomite eſt cu͂ ijs, quæ ſolo cõtactu afficiu͂t, qua͂ do particulę q̄ euapora͂t è primo, eæde͂ & in fomite pariter reſerua ri poſſunt, atq; ita ſeruatæ ide͂ facere, quod & tu͂ feciſſent, quu͂ eua poraru͂t è primo. ꝙ aute͂ tam diu perdurare ſeruariq́; poſsint in fo mite, ſi quis ꝑſuaderi vult, & minus admirari, debet ſe in cõſimili bus exercere. nõne videmus alie nu͂ odore͂ in ligno, & veſtibus & alijs per multu͂ te͂poris aſſeruari, nec nuda q̨de͂ illic qualitate & ſine ſubiecto exiſtente, ſed corpuſculis magis cu͂ ea minimis, atq; effugientibus viſum? quid de fuligine & fumo dicemus in parietibus obducto? nónne & hæc ex minimaru͂ particularu͂ admiſtione tinctura ſit, q̄ diutiſsimè dura re i͂corrupta cõſueuit. ac talia cer

tè infinita alia ſunt. quorũ omniũ rationem ſi quis fortè requirat, è duobus dicimus maximè dependere. quorum alterum eſt ſubtilitas, alterum eſt fortitudo & conſtantia miſtionis. propter ſubtilitatem igitur penetrant, & in foraminibus quorundam conduntur vnde neq; aeri ſubiecta ſunt, neq; multis extrinſecarum alterationum, propter validam autem miſtionem durare poſſunt aduerſus multa. eſt autẽ valida & fortis miſtio duplex, altera in duricie conſiſtens, vt ferri, lapidũ, & eiuſmodi, quorum inſenſibilia minima annos permultos viuunt, altera in lentore quodam, & multa elaboratáq; miſtione conſtituta. dura igitur, & ſi non ſunt ſeminaria contagionum, at lẽta elaboratáq; eſſe poſſunt. eſt autem elaborata

miſ

miſtio, quæ è valde minimis fit bene inuicē agitatis (vt in ijs quæ de ſympathia diximus). accidit autem talem miſtionem fieri in euaporationibus illis, quæ cōcluſæ ſunt, vbi nō diſpergitur, quod euaporat, ſed valde agitatum minutiſsimè commiſcetur. quod ſi lentorem quoq; accipiat, & valida miſtio fit, & apta ſeruari in fomite, cuius ſignum eſt, quòd quęcunque per fomitem afficiunt, omnia lenta glutinoſaq́ue conſpiciuntur, & propter hoc ſola ea, quæ talia ſunt, fomitem habere poſſunt, quæ autem lenta non ſunt, ſed aut in ſicco per ſe conſiſtunt, aut multo aqueo abundāt, apta citiſsimè alterari, ea quidem putreſcentia contagioſa eſſe poſſunt, ad id quod tangunt, fomitē autem non relinquunt. quòd vel

non adhærescant & glutinentur, vel citò alterentur. propter quod marcescentes fructus cõtactu qui dem afficiũt, fomite aũt nõ. pluri mo enim aqueo abũdãt, & quod euaporat lentũ nõ est. lenta verò agglutinantur quidẽ, & resident in ijs, quę tangunt, & propter for tẽ mistionẽ non facilè alterantur. ꝙ si analoga sint cũ eo, quod tã-gũt, statim contagionẽ inferũt, si verò nõ analoga fuerint, & quod tangitur non aptum quidẽ est af-fici ipsum, sed seruare tamẽ semi naria, tũ fomes fit. & nactũ mox aliquid quod analogum cum pri mo sit, non aliter inficit, ac & pri-mum fecisset. nihil enim refert, si ue aliquid statim tangat, siue me diante alio. non sunt autẽ apta o-mnia, vt fomes fiant, sed solùm q̃ foraminulenta sunt & calida, aut

parũ frigida. in ijs enim & condi possunt seminaria contagionum propter foramina, & non alterari neq; ab ipso fomite, neque ab extrinsecis, nisi ea plurimũ excedãt propter quod aduersum ignẽ nõ defẽdũtur. igitur neq; ferrũ neq; lapides, & eiusmodi frigida & nõ foraminulenta, idonea sunt, vt fomites fiant. lana verò & panni, & lignorum multa, idonea magis sunt. ꝙ igitur & quæ fomite afficiunt commune principium habeant, & cõmunẽ inficiendi modum cum ijs, quæ contactu solo, ex his manifestũ esse potest. differunt autem mistione, ꝙ his quidem fortis & lenta sit, in illis debilis, & nõ lenta, & propter hoc alia fomitem relinquunt, alia non.

De contagione quæ ad distans fit. Cap. 5.


Aiorem autem tum admirationem, tum dubitationē prębent ea, quę nō cōtactu ſolo, nō ſolo fomite, ſed & ad diſtans etiam contagionē faciūt. Lippitudinis genus eſt, quo qui laborat omnes ſolet inficere, qui in ipſum ſpectant. notiſsimę ſunt & peſtiferæ febres, & pthiſis & alia multa, quorum labe cohabitantes, quanquam ne etiam tāgant, coafficiūtur. horum igitur, quæ natura ſit, & quo pacto id vitium propagetur, dubitatio non parua eſt. quapropter accuratiſſimè de hoc eſt inquirēdum, quoniam maxima pars hæc eſt eorū quæ inueſtigamus. Videtur autē contagio hæc & alterius naturæ eſſe, & per aliud principium fieri. primum quid, quia peſtiferarū febrium nonnullæ ſunt, quę horis

ris decem, aut duodecim perdũt, ęgro nihil caliditatis, nil frigiditatis ſentiente. præterea ſi lippus alium lippum reddit, alterius quidem naturę videtur affectus iſte. quoniam viſio nonper caliditatẽ aut frigiditatem fit, ſed per vocatas ſpecies & ſimulachra rerum. Porrò ſubita & penè momentanea penetratio harum contagionum idem prorſus oſtẽdit. ſtatim enim & ictu (vt dicitur) oculi penetrant per totum animal, & necant. quod nulla alia qualitatum notarum, tam prõptè facere poteſt, ꝙ contrarium habeant. adde ꝙ ſi à notis qualitatibus fieret hęc contagio, ad debilius quidem, & minus reſiſtẽs ſemper propagaretur. quod certè fieri nõ videmus, quãdo ſæpe id quod debilius eſt, aut nihil, aut minus patitur. vt o-

culos quidem phthisis nõ carpit teneriores delicatioresq́; existentes, pulmones autem corripit. postremo quum hæc contagio vndiq;, & ad omnem partẽ feratur, imitari quidem videtur spiritualium motum, qui in orbẽ fit. corpora verò quæ notis qualitatibus constant, vnum tantum motũ habent sursum aut deorsum. quare alius impetus, alia vis esse videtur harum cõtagionũ, & venenis aut Catablephæ animali assimilari, non autem reliquarum contagionum modum & naturam sequi.

Quòd causa contagionum, quæ ad distans fiunt, reducenda non sit ad proprietates occultas. Cap. 6.

QVi igitur occultas proprietates inducũt, paruo negotio ab his sese difficultatibus extricãt, per pauca ratio

tionē oēm earum contagionū ad hasce proprietates referentes, q𝔡 & in alijs multis oī sollicitudine liberi & securi factitant. bene igitur erit de his proprietatibus breui q̄dā pcurrere. simul eñ & illud aperietur, q𝔡 nam esse posit harū cōtagionū prīcipiū. Supponēdū autē est nobis, quū decē sint rerū oīm genera, actiua tñ principia esse tantū substātiā & qualitatē. cōstat eñ neq; quātitatē, neq; ad aliquid, neq; vbi, neq; alia (vt summatim dicamus) effectiua esse, nisi p accidēs. porrò substātiā per se nihil aliud facere, nisi locales motus sursum, deorsum, rarefactionē, & condensationē, & circularē. hi enim à forma rerū fiūt. reliquæ verò actiones à qualitatibus proueniūt. qualitatū verò aliæ materiales dicūtur, calidū, frigidū, humidum, siccū, lux, odor,

ſapor, & ſonus, alię ſpirituales vocantur, quæ ſpecies ſunt. & ſimulachra materialiũ ſiue ſint cũ ijs vniuocè, ſiue non, vt lucis lumẽ. ſaporis verò & odoris, & ſoni ſpecies nomen non habent, niſi ſaporimen & odorimen, & ſonimẽ velimus effingere, ſicut à luce lumẽ. Similiter & caliditatis & frigiditatis, & aliarum ſpecies nomẽ nõ habent. conſtat antem eas eſſe tũ ex ſenſibus, tum ex intellectu. ꝙ igitur materiales qualitates multa poſſint efficere, manifeſtũ eſt, nam primæ quidẽ vocatæ omnia generant & alterant, ſecundæ verò appellatæ lux, odor, ſapor, & ſonus, nihil quidem inter ſe agũt quoniam contrariæ non ſunt, ſenſus tamen mouent, ſed & hoc ijs mediantibus, quæ ſpirituales vocantur. Harum verò ſpiritualiũ
quòd

quòd actio multa sit, & vis in natura, similiter est manifestum (vt in ijs diximus quę de rerum sympathia & antipathia diximus) nã & sensus & intellectus mouent, & principia sunt motionũ in animalibus, deinde & motus locales videntur facere attractionem & fugã. nõnullæ etiã & primas qualitates producere, vt lumẽ quod calorem gignit. Hæc igitur cùm itẽ sint, quærimus quidem ab ijs, qui occultas proprietates inducunt, quando actio omnis vel à substantia fit, vel à qualitate materiali, aut spirituali, quo nã principio dicant actionem hanc fieri qua contagiones produci videmus? ac certè si à substantia & forma fieri asserant, quid oportebat occultam proprietatem vocare. sed vocent vt lubet, nihil tamen

ea forma facere poterit, nisi locales motus, sursum, deorsum, rarefactionem, & condensationẽ, contagionem autem nõ, quæ per se localis motus non est, sed magis quorũdam corruptio & quorundam generatio. si verò qualitate aliqua fieri dicant, si quidem materiali, nihil ignotum assignabunt, nisi fortè ignotum quiddã qualitatum genus effingãt, quod nec caliditas, nec humiditas, nec siccitas sit. quod certè effingi nõ potest. si autem spiritualem aliquamqualitatem in causa ponãt, poterunt quidem notiori saltem vocabulo vti: & statim dicere spirituale aliquod contagiones hasce producere. sed certè neq; hoc adducere pro causa possunt. primùm quia spiritualia hæc tãdiu solum durare consueuere, quandiu

diu præſens eſt illud, à quo efflu
xere, niſi fortè fuerint in intelle-
ctu. at quæ ad diſtans faciunt cō-
tagionem, abſente etiam primo
perdurant nihilominus, & in fo-
mite, & in aere. quinimo de lo-
co ad locum feruntur trās etiam
maria, quod ſignum eſt corpus eſ
ſe, quod & defertur & perdurat,
longè à primo ſe habens. quod
ſi dicant corpus vtique eſſe hoc,
quod de loco ad locum fertur, a-
gere tamen per ſpiritualem qua-
litatem, profectò & ad non ne-
ceſſaria recurrunt, & inconue-
niens aſſignant. ſi enim rectè de-
finita contagio eſt, oportet tale
in ſecundo fieri, quale in primo
fuit, & idem eſſe in vtroque prin
cipium, idémque & in quarto &
quinto: & in alijs, quę contagio-
nem recipiunt. tale autem non
pot

poteſt facere vllum ſpiritualium per ſe, per accidens quidem nihil prohibet ſpiritualia enecare & diſſoluere etiam miſtionem aliquã fugãdo quædã contraria, quod & fœtor facere poteſt, & Cathablephę animalis aſpectus (vt dictum in ſympathijs fuit). generare autem tale in ſecundo, quale in primo fuit non poſſunt ſpiritualia. generatio enim omnis per primas fit qualitates. oportet autem in hiſce contagionibus non putrefactionem ſolùm fieri, ſed à primis ſeminarijs, & alia quoque gigni & propagari, quę ipſis ſimilia natura ſint, & miſtione. non aliter quàm ſpiritus in animali è ſanguine ſolent alios ſibi conſimiles generare, quod ſpiritualium nullũ efficere per ſe poteſt. quã ob cauſam & in contagionibus quæ ad
diſt

diſtans fiũt idẽ eſſe cõmune principium, & eundem inficiẽdi modum per qualitates notas cenſendum eſt, quod & Ariſtotelem & Galenum exiſtimaſſe ſine dubio videre poſſumus. differunt autem harum contagionum ſeminaria, & ab ijs, quæ ſolo cõtactu afficiunt & ab ijs, quæ fomite ſolo. ſed primũ dicamus, quo pacto ad diſtãs ferri poſsint, & quo modo in orbẽ moueri videãtur, & qua ratione vim tantã ſortita ſint, & tam cito penetrẽt, & quales ſint earũ analogię, tũ demum quam differentiã habeant ad alia ſeminaria, diffiniemus.

Quomodo ſeminaria cõtagionũ ad diſtans ferantur & in orbem. Cap. 7.


Rgo illud in primis inquiramus, quo motu agantur ſeminaria illa cõ

tagionũ, quãdo longè & ad eos, qui distant ea ferri manifestũ est, quod multi adeo mirãtur. est autem inter prima respiciẽdũ ad cõsimilia, quo minus admirari possimus. quis putaret è cępe & allio lachrymas nobis, vel è longinquo elici, è pipere iride ptharmica sternutamentũ, è croco, solano stricno somnũ cõciliari, è tractatione metallicorũ apoplecticum hominẽ fieri? exhalant nimirum ex omnibus his ac circũquaq; feruntur insensibilia corpora, quorũ diuersæ actiones sunt, & facultates. manifestissimũ aũt hoc apparet in ijs quæ corrũpũtur & putrent. principiũ autẽ motus eorũ corpusculorũ ad oẽs partes, partim qdẽ per se est, partim ab alio datur. p se igitur euaporatio oĩs sursum fertur, quod & in fumo

& alijs multis ſpectari poteſt, ſi quis neſciat euaporationē omnē calidā eſſe, ab alio autē accidit, & in latus, & deorſum poſtremò pelli, quod præcipuè duabus de cauſis euenit, altera eſt obſiſtētia aut aeris, aut tabulatorū & eiuſmodi, in quæ incidūt, quæ primū exhalant partes. vbi igitur vltra ferri nō poſſunt, pelluntur quidē & in latera ab ijs, quæ ſuccedunt, & hæc ab alijs, donec accidat repleri totum. altera cauſa eſt aer ipſe, qui euaporationem omnē ſi tenuis ſit, & bene ſolubilis diuidit, vſq; etiā ad minimas & non vltra diuiſibiles partes. ea enim eſt elementorum & liquidorum omniū natura, vt ſitū cōueniētē quærāt, quātū poſsibile eſt. Conuenientiſsimus autem ſitus eſt, quū partes cōtinuæ inter ſe ſunt,

aut si continuæ esse nō possunt, minus tamen inter se distēt, quo posſibile sit. sic enim minore violentiā sustinent, vt in ijs diximus quæ de sympathia tradita sunt. qua de causa aer continenter eā euaporationem diuidit magis, & magis, donec ad eas veniat partes, quæ non vltra diuidi & separari possunt. Facta igitur innumerabili illa diuisione multū aeris repleri accidit, & circunquaq; misceri, quod & in fumo manifestissimum est videre. propter has igitur causas, & quę circa contagiones contingunt euaporationes, circunquaq; feruntur, & aeris multū occupāt, quoniā exhalatio omnis multū diffunditur, magis autē sursum & primò, sed tamen mox & ad latera, & postremò deorsum accidit ferri. ac

ſic & cohabitantes poſſunt infice
re ſeminaria hęc, & non ſolũ in
fomite, ſed & in aere per certum
tempus ſeruari, diutius autem in
fomite. quo autem modo fiat, vt
tam paruæ quantitatis exiſtẽtia
non alterentur ſaltem medio in
aere expoſita, priorem habet du-
bitationem. nã quæ tam fortis eſ
ſe miſtio poteſt in tam parua par
ticula, vt in aere diu conſiſtere va
leant: præſertim, quæ in duritie
non conſiſtunt? ſed certè quę len
ta ſunt, & glutinoſa quãquã par-
uiſsima ſint, poſſunt quidẽ ſi nõ
omnino tantum, quantum dura,
viuere, at paulo minus poſſunt.
dura quidẽ propter tria reſiſtunt
alterationibus maximè, & quòd
in pauca quantitate plus habent
materiæ, & quòd propter terram
plus habent frigiditatis, & quòd

partes nõ bene ſubtiliari & rare-
fieri poſſunt propter dẽſitatem.
quod fieri oportet, ſi caliditas in-
duci debet. priora igitur duo & ſi
lenta non habent, æquè ac dura,
attamen in parte habent & ipſa.
tertiũ verò habent nõ minus quã
dura hoc eſt difficultatem ſubti-
liationis propter partium tenaci
tatem, & quòd miſtio è valde mi
nimis conſtat. tenacitas enim fa
cit, vt pars nõ facile ſecedat à par
te. miſtio verò è quàm minimis
facta bene vnitis aduerſus altera
tiones omnes valet, quoniã ſi ra-
refieri oporteat, ſtatim præſto
ſunt partes terræ, quæ ꝓhibeãt,
iuxta quodlibet minimũ ſitæ. ſi
verò denſari neceſſe ſit, præſto
ſunt ignis partes ꝑpter propin-
quitatẽ, quæ ſimiliter obſtẽt. qua
de cauſa non ſolùm dura, ſed &
len

lenta ſeſe defendunt ab alteratio nibus multis ſi mediocres ſint, magnas autem nõ ferũt. propter quod ab igne abſumuntur ſeminaria omniũ contagionũ, & ab aqua etiam frigidiſsima frangũtur. quòd ſi curioſior quiſpiam illud quærat, cur intrinſecè ſaltẽ non alterẽtur hęc ſeminaria, quũ è diuerſis ſint miſta? ſciat ille non eſſe hanc ſolis ſeminarijs ꝓpriã queſtionẽ, ſed & alijs multis cõmunem, vt piperi, calci, euphorbio, pyrrhiti lapidi & metallicis, & alijs pluribus. quę quũ è diuerſis ſint miſta, alterationẽ tamen nullã intrinſecus, aut nullius momẽti patiũtur, ſed annos multos immutata perſeuerant, vt mirũ ſit lapides annos mille & duo millia durare. cauſa omnium eſt quòd miſtio, quæ è diuerſis fit,

ad tam minimas particulas reda
cta est, ꝙ propter paruitatem ex-
cessum nō habēt particulæ inter
se illum, qui reqritur ad agēdū.
qua de causa dum mistio illa eo
pacto perstat, dū igneæ partes se
paratę sunt & dispersę, sepultęq́;
in alijs, alteratio nulla introrsum
fit, quare & piper, & euphorbiū,
& reliqua tractata manibus frigi
da sentiuntur. at vbi casu aliquo
mistio illa soluitur & mutatur,
& partes quæ eiusdem rationis
sunt, in vnum coeunt, & maiorē
quantitatem, & potentiam ad a-
gendum acquirūt, tū actu fiunt,
& agunt iam, vnde & calx & pi-
per, & euphorbium, iam calida
percipiuntur, quū prius potentia
solùm calida essent, actu verò ali
ter se habentia propter eandem
causam nec seminaria intrinse-
cus

cus ſeſe alterant, quanquam è di uerſis conſtent, vtpote miſta. ꝙ autē in tam pauca quantitate vis multa ineſſe poſsit, declarat fulgur, quod non aliud eſt quàm vapor. declarant & euphorbij & piperis, & ſimiliū particulæ minimæ & effugientes viſum. quibus tanta vis à natura tributa eſt, adeo refert ignem in materia denſa contineri, quãquam parua ſit, talia quoq; ſunt ſeminaria cõtagionū. omnia enim acria ꝑ ſe ſunt, quãquam in lentore conſtituta, quæ & ipſa actu fiũt à calore animalis] ſubtiliante eam miſtionē & vniente partes conſimiles. talia autem ad humores & ſpiritus non paruam potentiam habent. quare & perdere etiam poſſunt paucis horis, ſi ad ſpiritus analoga ſint, de quo mox largius di-

cemus. eadē & ex oculis lippiēti- bus eiaculari possunt in alterius oculum & consimilem infectio- nem inferre, quæ visio quidē nō est, sed vitium in oculo. Quòd autē in animal penetrent & nō- nulla citissimè, nemo mirari de- bet, si modum quo ingrediuntur consideret. ingrediuntur autem è paruis poris & venis, & arterijs in maiores, & ab his in alios sępe etiam vsque ad cor. vnus penetra tionis modus est per propagatio nem & quasi sobolem. prima em̄ seminaria, quæ adhęserunt è vi- cinis humoribus ad quos habent analogiam, consimilia sibi alia generant & propagant, & hæc alia, donec tota humorum massa & moles afficiatur. alius modus est per attractionē, quæ intro fit, tum inspiratione per anhelitum,

tum

tum venarum dilatatione. ſimul enim cum aere qui attrahitur ingrediuntur cõmiſta contagionũ ſeminaria, quæ vbi introducta ſunt, non eadem facilitate regrediuntur per expirationẽ, qua ingreſſa per inſpirationem fuere. quoniã agglutinãtur humoribus & membris, & nonnulla etiã ſpiritibus, qui contrarij ſpeciem refugientes, ſecum & inimicum ad cor ferunt. non enim dicendum eſt (vt quidam aiunt) venena & contagiones pręcipuè cor petere atque aggredi, vti inimicũ, quaſi cognitio & volũtas ijs inſint. tardius autem penetrant, quę per ſe minus acria ſunt, aut in lentore multo ſepulta, & analogiã habẽtia ad craſsiores humores, & q̃ p venas trahuntur. celerius autem quę per anhelitum & quæ ſubtilio

tiliora ſunt, & acrimoniæ maioris, ad ſpiritus autẽ analoga. Fortaſſe autẽ & alius eſt penetrationis modus. omnis enim euaporatio de anguſto in amplum facillimè diffunditur. quare quum minores & anguſtiores ſint venæ, quæ circa ſumma ſunt, maiores verò cõtinuè qua verſus cor itur, inde fit, vt & contagio quàm facillimè ex anguſtis venis in amplas diffundatur, vbi etiam maior eſt calor, atq; ad cor etiã ferãtur, niſi quid obſtet. Quòd igitur & quæ ad diſtans fit cõtagio per idem cõmune principiũ fiat cum alijs, & per eundem modũ, & quo motu feratur, & quomodo penetret, & tantã habeat vim, hactenus dictũ ſit. quomodo autem particulari & propria quadã natura ab alijs differat, nunc dicatur

catur. ab ijs igitur quæ ſolo contactu afficiunt differre videtur, quòd hæc in forti miſtione conſtituta videtur & lentore quodã, illæ verò non. ab ijs verò quę fomite ſolo & contactu inficiunt, differunt eæ, quę ad diſtans protendũtur, quò validior adhuc miſtio ijs ineſſe videtur, & ſubtilitas maior, propter quod & penetrant magis, & maiorem actionẽ habent. Fortaſſe autẽ & antipathia ad anima his eſt, nõ ea ſolũ quæ materialis dicitur, ſed & ſpiritualis etiam quę ſpiritus poteſt fugare & calorẽ qui humorũ miſtionem continet, propter quod & maximè põt putrefactionẽ inferre, de quo etiã mox dicemus.

De analogia contagionum. Cap. 8.

Contagionum autẽ analogiæ multiplices quidem ſunt, &

maximè admirandæ. peſtis quęquedam eſt arboribus aut ſatis, animalium nulli obeſt. contrà quædam tangit animalia, ſatis & arboribus parcit, & inter animalia, hæc hominem carpit, illa boues, illa equos aut alia, ſed & in eadẽ ſpecie, quæ pueris & iuuenibus eſt contagio, ſenum neminem lędit, & è contrario nec quę mares, ſemper etiam mulieres attingit. promiſcuè verò alij certas peſtes ſenſere, alij non, & alij inter peſtilentes illęſi verſantur, alij non. inter membra porrò eſt, & ſua ananologia, lippitudo nulli mẽbro nocet niſi oculis, phthiſis verò non oculis, quãquam delicatioribus, ſed pulmoni: Alopeciæ & Achores caput ſolũ tentant. at verò & in humoribus, quædã vni eſt cõtagio, alij non, quædã omnibus.

aliæ

aliç ſpiritus prçcipue ꝑdūt, quorum omnium admiranda quædā ratio eſt. aſsimilantur autem & alijs multis, de quibus omnibus diximus in ijs quç de ſympathia vbi etiā cōmunes cauſas perquiſiuimus, quæ vel ad rationē agentis referūtur, vel materiæ, vel applicationis. ꝓpter q̄ nō oīa agūt in oīa, ſed certa in certa ſolū, quæ analoga dicūtur. particulares autem, & proprias analogias nec inſtitutum noſtrum eſt dicere, nec prudentis inquirere. ſat enim in prçſenti ſit, ſi nō proprias & propinquiſsimas cauſas, at medias tamen ſciamus, & ad proximas nitamur quantum pro ſubiecta materia dabitur.

Vtrum contagio omnis putrefactio quædam ſit. Cap. 9.

Nunc


Vnc illud inquiramus, vtrũ omnis contagio putrefactio quędã ſit, & an omnis putrefactio cõtagioſa. videtur autẽ putrefactio omnis cõtagioſa aut ſimpliciter, aut ſaltẽ ad continuã partem, ad aliud verò cõtagioſa non omnis ęſt, quoniã ad agendũ multa vt diximus requiruntur. omnẽ autem contagionem in putrefactione quadã cõſiſtere dubitationẽ fortaſſe habet: quoniã rabies contagio quędã videtur, putrefactio autẽ non. ſimiliter & vinũ quum aceſcit ab alio contagionẽ quandã pati videtur, putrefactionẽ autẽ nõ. nã quũ putreſcit, tũ & fœtet & ingustabile eſt, acetum verò ſuaue eſt, & putredinibus etiã reſiſtit. ſed certè & eæ putrefactiones q̃dam ſunt exiſtimãdæ. verũ illud

circa

circa putrefactiones est intelligẽdum, ꝙ interdum sola misti dissolutio fit, & sola euaporatio humidi atque innati caloris, generatio autẽ noua nulla consequitur, atq; hæc simplex putrefactio dicitur. interdum in ipsa euaporatione simul & generatio aliqua prouenit aut animalis, aut alterius quod formam vnam & certã habet, & mistionis rationem ac digestionẽ suã. in quibus igitur simplex fit putrefactio, generatio autem nulla, & fetor fit & abominabilis sapor, propter causam quæ in sympathia dicta est. vbi verò generatio aliqua intercedit, & digestio ordóque partiũ pro certa forma. tum sæpe neque fetor fit, neque abominabile quicquã. igitur & vinũ quandoq; quidẽ simpliciter putrescit, & marcorẽ cõtrahit, &

ingratũ inguſtabiléq; eſt. Interdum nõ ſimpliciter putreſcit, ſed & ſimul generatio aliqua ſequitur vt aceti. euaporãte enim quod dulce atque aereum eſt, relicto multo terreo ſubtili aduſto cum plurimo aqueo, miſtum illud fit, quod acetum vocamus, cuius & forma ſua eſt, & digeſtio, & ordo partium, & ſapor, & odor. quòd autẽ præcedat putrefactio aliqua prior, declarant, & lac, & pituita, quæ quum putreſcere incipiunt, ſtatim aceſcunt. In rabie quoque putrefactionem quandam accidere cenſendum eſt, facta contagione ab alio, latet autem nos. quoniam quę in viuo animali putrefactiones fiunt, non admodũ manifeſtę ſunt. veriſimile eſt autem ita ſe habere, quoniã & canes quũ rabiũt febre quadã corripi ſolẽt.

ſi igitur in omnes cõtagiones inductio fiat, omnes quidẽ in putrefactione quadam conſiſtere videbuntur. quod & ratio quoq; perſuadet, quoniã nulla alia euaporatio aptior eſſe videtur ad cõtagiones inferendas, q̃ quę in putrefactionibus fit. quoniã autem diximus cõtagionẽ eſſe in inſenſibilibus particulis, primò quęrat fortaſſe quis, vtrũ particulę illę corrumpãtur quidẽ, an alterẽtur ſolũ, ad quos dicimus quantũ quidẽ ſufficit ad putrefactionẽ faciẽdã, non neceſſe eſſe corrũpi particulas ipſas, ſed alterari ſolũ, quatenus diſſolui miſtio poſsit, & euaporare calidũ cum humido innato, nihil tamen prohibet & corrũpi etiã, ſed non neceſſe eſt quatenus attinet ad faciendã putrefactionem. quoniã autem putrefa-

ɛ̃tiones omnes ad continuam ſal
tem partem conſimilem putrefa-
ɛ̃tionem inferre aptæ ſunt. ſi o-
mnis quidē contagio putrefactio
eſt, videbitur quidē contagio ſim
pliciter & communiter dicta pu-
trefactio quædam conſimilis de
vno in aliud tranſiens, ſiue conti-
nuum illud ſit, ſiue diuerſum. ve-
rùm hęc nō eſt ea quę propriè cō
tagio dicitur, ſed illa quę inter di
uerſa verſatur. ꝙ & ſi etiam pro-
prijſsime velimus contagionē cō
ſiderare, quę in morbis ſpectatur
& non ſolo contactu afficit, erit
quidem cōtagio cōſimilis de vno
in aliud tranſiens putrefactio, cu
ius ſeminaria actionis multę sūt,
in forti ac lenta miſtione conſti-
tuta, ac antipathiā ad animal ha-
bentia nō ſolùm materialem, ſed
& ſpiritualem etiam: ex qua defi
niti

nitione ratio omnium eorum manifesta est, quæ circa contagionẽ videntur.

Cur morborum alij contagiosi sint, alij non, & cõtagiosi cur lenes sint. Cap. 10.

IMprimis igitur cur morborum alij cõtagiosi sint alij non, & quomodo fiat vt alij ardentiores cùm sint, & grauiores, nullã tamen inferunt cõtagionem, alij verò placidiores, mitioresq; existentes contagiosi plurimùm sint, quæramus: quod certè dubitationẽ quandã habet. si enim contagio vim & actionẽ sequitur, qui acutiores sunt morbi viderentur magis contagiosi: si verò adustionem sequitur contagio (vt multi medicorũ putãt) similiter viderentur, qui ardẽtiores sunt contagiosi magis. ꝙ si &

putrefactionem multã sequitur contagio, in pluribus quidẽ multa putrefactio fit, contagio autem nulla. ergo morborum quicunq; absque putrefactione fiunt, nulli quidẽ contagiosi sunt, quoniam, vt dictum est, contagio non sine quadam putrefactione fit. In quibus verò putrefactio cõtingit, requiri quidem acumen dicimus, si contagio sequi debet, sed non sufficit acumen solũ & potentia agẽdi, verum & lentor quoq; requiritur, & fortis atq; elaborata mistio vt dictum est. similiter neq; adustionem sequitur contagio, sed si qua in contagionibus adustio accidit, illa sequitur magis, q̃ origo cõtagionis sit. nec similiter omnẽ putrefactionẽ sequitur contagio, quanquã larga sit, & multi humoris, sed eã solùm in qua seminaria

fieri

fieri poſsint, quæ & miſtionis ſũt fortis & in lentore conſtituta. febrium igitur multę ardentiſsimę ſunt, vt quę è colera, ſed in ſicco conſiſtentes, è quibus quę euaporant particulę, ſeminaria eſſe non poſſunt contagionis in alio, ſiue quòd miſtio earum debilis ſit, ſiue quòd non adhereant & agglutinentur propter ſiccitatem. at quęcunque ſordidam habent putrefactionem & cõcluſam, illę ſeminaria gignunt ad inferẽdas cõtagiones idonea. ſordidã autẽ dico putrefactionẽ, in qua nõ fit ſuperficialis putrefactio & euaporatio eius, qđ putreſcit, ſed profũda & ad totũ. cõcluſam autẽ voco in qua nõ abeũt & exhalãt quę euaporãt particulę, ſed quodãmodo cõcluſę bene ac diu agitantur & miſcẽtur, lentorẽ autẽ habentes.

ſic enim & fortis fit miſtio & glu
tinoſa, lenes autem apparent cõ-
tagioſi morbi præcipuè febres,
quæcunq; contagioſæ ſunt, pro-
pter id ꝙ profũda fit putrefactio,
in qua multum humidi euaporat
quod tum lentorem inducit, tum
& acrimoniã hebetat. In quibus
autẽ acumen & ardor multus ſen
titur, in ijs ſuperficiales magis ꝑ-
ticulæ euaporant calidæ & ſiccæ,
propter quod nec cõtagioſę ſunt.

In quo conuenit cum venenis conta
gio, & in quo differat. Cap. II.

CОnueniunt autẽ, & cogna
tionem quandam cum ve-
nenis habent nonnullę cõ-
tagiones: quoniam ſicut il-
la inimicitia quadam frauduleta
latentia perdunt animal & cor pe
tunt, ita & contagiones quædam
facere ſolent, propter quod vene
noſ

nosas solemus quasdam febrium appellare. differũt autem inter se nõ parum, quod venena nec propriè putrefacere possunt, nec tale in secundum gignere, quale in primo fuit principium & seminariũ. cuius signũ est, quod venenati ad alios contagiosi nõ sunt. causa verò iccirco est, quod venenorũ est duplex genus. alia enim spirituali qualitate enecant, qualis est serpẽtum maxima pars & Catablephę aspectus. alia verò materiali qualitate operãtur. quę igitur per spirituales species agunt, corrũpere quidem possunt, fugando calorẽ innatum, & tristitiã intolerabilem ingerendo. generare autem nihil simile possunt, quoniã generatio omnis à primis qualitatibus fit. propter quod in venenatis nihil tale vnquã factũ vidimus, quale

est quod à Vipera & Basilisco e-
mittitur. eorũ verò quę per mate
rialẽ qualitatem operãtur, alia ca
lida sunt, vt vocata caustica & vrẽ
tia, alia frigida, vt opiũ & hyoscia
mus & id genus. verũ quæ calida
sunt vrentia, omnia in sicco sunt
consistentia, quare & exurere ma
gis apta sunt, q̃ putrefacere & cõ-
tagionẽ inducere. ꝙ si quędã à me
dicis putrefactiua dicũtur, hoc ta
men impropriè dicitur, simplici-
ter enim caustica sunt. appellant
autẽ putrefactiua hæc, illa causti
ca, ꝙ caustica crustam & vocatam
escaram prius faciũt: vocata verò
putrefactiua vesicam prius indu
cunt, quasi in his calor naturalis
euaporet, sicut in ijs q̃ putrescũt.
verũ propriè caustica & illa sunt,
vt Arsenicũ, Auripigmẽtũ, Py-
thiocãpe, & Catarides quæ putre
fact

factiua dicuntur. Cæterũ non putrefaciũt, ſed vrũt è quibus quod euaporat ſeminarium contagionis eſſe non poteſt, vtpote ſiccũ. quæ igitur venenorum calida & vrentia ſunt, propter hãc cauſam cõtagioſa non ſunt. quę verò frigida & ſtupefactiua ſunt, putrefacere quoq; non ſolent, quare neq; hæc contagionem inferre. ita igitur differunt quæ cõtagioſa ſunt à venenis.

De alijs differentijs contagionis. Cap. 12.



V pereſt nũc vt de differẽtijs alijs ꝓſequamur ac earũ cauſis. neq; enĩ oẽs vno mõ cõtagiones ſe habẽt. alię in nobis primò fiũt, & generãtur in aliquo, mox ab illo in aliũ trãſeũt. alię extrinſecus primò veniũt. & factæ de vno in aliũ propagãtur,

& aliæ per ſumma errant, & vix cutim carpunt, aliæ ſolidiora occupant, aliæ & interna, & aliæ omnia tã interna, quàm externa. quædam porrò promptiſsimè inhærent, & afficiunt, quædam ſerius, & aliæ ſe ſtatim manifeſtãt, aliæ non niſi lõgè poſt, aliquę ad hæc letales ſunt, aliquæ ſine vllo vitæ periculo. omnes autem in viuo corpore natæ infectionem diſſeminare, in mortuo non. & corporum alia ſuſcipiunt facillimè, alia aut nunquam, aut cum difficultate. vnde & illud quęri poteſt vtrũ peſtilentijs aſſueſcere poſſimus, ſicuti venenis. In nobis igitur primò oriri ſeminaria contagionum manifeſtum eſt, non ſolum in ſcabie, achoribus phthiſi, ſed in febribus etiam, quæ peſtiferæ dicũtur. cauſa eſt, ꝙ in nobis

& humoribus noſtris putrefactio nes fieri nihil prohihet, quę & ſordidæ ſint, & concluſę, à quibus ſeminaria illa fiãt, quæ tum lẽta, tũ & fortis miſtionis ſint. hæc autẽ cõtagiones inferre, dictum eſt ſuprà, ac in aliquo primo ita fieri poſſe, nemo dubitat. illud fortaſſe dubium eſſe poſſet, vtrũ & in ſecundo qui afficitur, contingat ſimiliter ſordida & cõcluſa putrefactio, an non. ſi enim non cõtingit, quomodo in ea noua ſeminaria fiunt, quæ tertium aliquem inficere poſsint? at ſi cõtingit, à quonam fit, quando cauſæ eædem in ſecundo non ſunt, quæ in primo fuere, ſiquidẽ in primo cauſæ fuerunt obſtructiones, plenitudo & malitia humorũ & ſimilia. in ſecũdo autem nihil horũ adeſſe neceſſe eſt, quando videmus, tẽperato

&

& probè ſano exiſtẽte aliquo,cō cipere tamen ab alio contagionẽ ſolis ſeminarijs ſufficientibus inferre. Dicendũ igitur & in ſecundo ſordidã ac concluſam putrefactionem fieri, ſordidam quidem, quoniam profundè corrumpitur quod à ſeminarijs recipit putrefactionẽ, propter multam inheſionẽ & actionem eorum atq; analogiã. talis autẽ & concluſa eſt, propter multã euaporationem, quæ fit. ꝓ & ſi non talis per ſe eſſet, nihil tamen refert dũ profunda accidat. omnino enim tale in ſecũdo fuit, quale in primo principiũ & ſeminarium eſt, quoniã dictũ eſt eam ſeminarijs ineſſe vim, vt ſibi ſimile propagare, & gignere poſſint, ſicuti & ſpiritus faciũt. In primo igitur cauſæ fuerunt illę, quę paſſim ſolẽt putrefactiones in nobis

bis facere, obſtructiones, plenitu dines, & humorum prauitates, à quibus facta putrefactio ſordida & concluſa plurimũ, accidit inde ſeminaria enaſci, quę apta ſint, in aliũ contagionem transferre. ſiue in eo fuerint cauſæ & diſpoſitiones, quę in primo fuere, ſiue non. quare analogũ humorem nactæ in ſecudum & tertium, & alios cõtagionem apportant. Quòd verò & extrinſecus quoq; in nos veniant principia & ſeminaria cõtagionũ, & in nobis non primò fiãt ſimiliter quoq; manifeſtum eſt, quoniam ſæpe videmus populariter vagantes morbos, quas epidemias vocant, quorũ alij cõmunes quidem pluribus aut ciuitatibus, aut regionibus ſunt, ſed non cõtagioſi, qui cõmunes tãtũ dicũtur. alij verò etiã cõtagioſi, id eſt,
qui

qui ſemel in vno concepti abſq; aeris diſpoſitione illa communi, contagionẽ in alium trãſferunt, atq; hi non cõmunes tantum dicuntur, ſed contagioſi ſimul, quales ſunt peſtilentiæ, vti ea quæ circum Græciam vagata eſt, de qua Thucidides ſcribit, & quales illę, quæ noſtris annis apparuere in Italia ab alijs lenticulæ, ab alijs puncticula appellatæ. referemus etiam inſolitã anni. 1514. cõtagionem, quę in boues ſolùm irrepſit viſa primò circa Foroiulienſem tractum, mox ſenſim & ad Euganeos delata atq; inde in agrũ noſtrum. abſtinebat primò bos à cibo ſine cauſa alia manifeſta. ſpectantibus autem in ora eorũ bubulcis, aſperitas quædam & paruæ puſtulæ percipiebãtur in palato & ore toto, ſeparare protenus

inf

infectum oportebat à reliquo armento, alioqui totũ inficiebatur. Paulatim labes illa descendebat in armos, & inde ad pedes, ac quibus ea permutatio fiebat, sanabãtur ferè omnes. quibus auem nõ fiebat, plurima pars interibat. Harũ ergo contagionũ, quæ extrinsecus veniũt, potissima causa est aer, quãquã ex aquis & paludibus, & alijs nihil prohibet euenire. aptissimus autẽ est aer, tum quòd facillimè & proprias & alienas infectiones cõcipit, tum quòd necessariò eo vtimur ad vitã, sed illud maximè aduertendum est, quòd aer interdũ alterat solũ calefaciẽdo, infrigidãdo, humectãdo, & exsiccãdo, interdũ nõ solũ alterat, sed & vapores extraneos in nos immittit, interdum non vapores simplices, sed & semina-

ria contagionũ. differt autẽ seminarium cõtagionis à vapore simplici, ꝙ vapor alterabile satis est corpus, mistionẽ nõ habens fortem in lentore, quale est seminariũ. cõcurrunt tamen vapores in nos importati multipliciter ad putrefactiones quæ fiunt. primò enim & obstruunt, deinde & locum habent alienæ caliditatis & humiditatis, tum immisti humoribus inamabiles illos reddũt & ingratos mẽbris, vnde & respuuntur & relinquuntur à natura, ac sic putrescunt. seminaria verò non solùm hæc faciũt, sed maximè faciunt, ac simul & cõsilia sibi alia ceu sobolẽ procreant, quę ad alium delata cõtagionem inferunt. Si igitur vapores simplices in nos aer importet, non iam contagio est, nec ægritudo per se

con-

contagiosa, nisi profunda & con clusa putrefactio fiat, quæ nec similiter si ad aerem comparetur, contagio dicitur, quoniam nõ est consimilis in vtroq; infectio: sed si ad alium comparetur, qui secũdus sit, & tertius, & quartus, iam contagio dicitur, & ægritudo cõtagiosa. si verò ab aere seminaria statim immittantur contagionis in aliquem primum, & contagio dicitur ab aere accepta, & ad aliũ apta est transire. idem enim vitiũ & aer passus est, quod & ille, cui illatum est. idem & de terra & aqua dicatur, nam & ipsa interdum vapores solos in nos transferunt, interdum & seminaria ipsa contagionum. quibus autem de causis tum aer, tũ aqua & alia inficiantur, & modo seminaria contagionũ cõcipiant, modo vapores

pores extraneos, & modo alteret solùm, recipiendum est nobis vti notum. Illud fortasse magis desideraretur, vtrum à cœlo & syderibus contagiones vllæ per se dependeant, quãdo astrologi sæpe quosdam futuros morbos & Epidemias prædicunt, quemadmodum Syphilidem siue Gallicum vocatum morbum prędixisse ipsos cõstat multo antequam apparuisset. sed certe (quando nihil à cœlo huc demitti põt, quod proximè tangat) nisi spirituale aliquod seu lumẽ, seu tale aliud, si ad ea respiciamus, quę suprà de actionibus spiritualiũ dicta sunt, videbimus à cœlo nullas contagiones per se fieri posse. per accidèns autẽ nihil prohibet, quasdã ab ipso fieri, ac prædici etiam ab astrologis posse, qui scientes, ea
quæ

quæ à ſyderibus per ſe vt plurimum fiunt, poſſunt ſimul & illa præuidere quæ per accidens cum illis, vt plurimũ coniunguntur. poſſunt autem per ſe ſydera calefacere: ad calefactionem autẽ ſequitur & vaporũ plurima ex aqs & terris eleuatio, q moxvarias & diuerſas corruptiões efficiãt, mõ nouas, mõ cõſuetas, mõ magnas prout & ſyderum conſtitutiones ſe habent. Igitur has conſiderãtes aſtrologi ac docti, quæ apportare ſolent, prænũtiant effectus, qui quãquam per accidẽs à ſyderibus fiunt, vt plurimũ tamen cõcomitantur ea, quæ per ſe fiunt. nihil enim prohibet quædã per accidẽs eſſe, & vt plurimum eſſe. aptiſsimè autẽ ſunt ad magna & noua producenda illæ ſyderum conſtitutiones, in quibus plures

Planetarum in vnũ coeunt, prę-
ſertim ſub inſignibus aliquibus
earum ſtellarum quæ fixæ dicũ-
tur. raro enim fit, vt quũ eiuſmo
di cõuentus fiunt, notabilem ali
quem partum & portentum non
edant, ſed de his plura fortaſſe
oportet dicere. Per ſumma au-
tẽ errãt ſcabies, porrigo, papulæ,
lepra & circa caput achores, areę,
ophiaſis & id genus. horũ autem
omniũ ſeminaria craſsiora & mi
nus acria ſint, q̃ quę intima petũt.
hęc enim ſubtiliora ſunt, & acria
magis, & ad ſpũalia magis analo
ga. eorũ autẽ quę in ſummo inſi
dent, alia ſummã cutim tentant,
alia profundius immerguntur,
quę in denſiori materia ſunt, qua
les ſphaceli, & eſtiomeni, & car-
bunculi, & elephantia, & ſyphi-
lis morbus, & id genus. Cito au
tem

tē afficiunt, queçũq; ſeminario-
rũ in acrimonia multa conſiſtũt,
& ſubtilia ſunt, prçſertim per an
helitũ cor petentia, quorũ analo
gia eſt ad ſpiritus, aut ad ſubtilio
res humorũ. at quorũ materia dē
ſior eſt, & analoga ad humores
craſsiores, ea tardè ſerpunt, vt ſy-
philis & rabies. mortuũ autē ani
mal contagē eam nõ ſeruat, qua
tenebatur viuens. quoniã ſemi-
naria cõtagionis vnà cum calore
innato extincta ſunt, paratiora
verò ſunt ad cõtagiões corpa, ad
eas quidē, queprimò in nobis fi-
unt, immũda qdē & valde humi
da, & carnis ac foraminũ cõſtipa
torũ. ad eas verò q̃ extrinſecus ve
niunt paratiora ſunt, q̃ foramina
aperta & laxa habēt, calida autē
& humida. difficulter autē reci-
piũt & ſerius, quibus frigida eſt,
 &

& ſicca denſaq́; corporis cõſtitutio. propter quod ſenes & anicu-læ minus corripiũtur, quã iuuenes. attendendæ tamen ſunt analogiæ contagionũ, quæ vnũ magis q̃ alium tentant. minus itẽ recipiunt, qui per ocium vitam traducunt, q̃ vegetes & negotiatores. quoſdã porrò vidimus, qui in medijs peſtilentijs verſantes ſecuri eſſe conſueuere, de quibus quędam ſuo loco dicemus, & vtrum cõſueſcere peſtilẽtijs poſsimus.

De ſignis contagionum. Cap. 13.

SVnt autem & indicia cõtagionũ ſua, quorum alia prænuntia ſunt futurarũ, alia præſentes monſtrant: ac eorum quæ prænuntia dicũtur, alia à cœlo ſumuntur, alia ab aere, alia ab ijs, q̃ circa terras & aquas ſunt, quorum quædam vt pluri-

mum

mum veracia ſunt, alia ſæpe. quare nec per omnia prognoſticari niſi probabiliter, licet. In cœlo igitur quum eorum ſyderũ, qui planetæ dicuntur, vides vnam in partem plures conuenire, vt ſępe accidit plures, aut ſeptentrionales fieri, aut auſtrales, nec non & coniungi etiam inuicem, tum ſcito in ea parte mutatiões magnas circa terras futuras. ac primùm quidẽ humiditates plurimas ſublatis vaporibus multis è terra & aquis, mox ſiccitates nõ paruas conſecuturas, conſumptis tandẽ vaporibus & exuſtione circa terram & aerem facta. hæc autem ſolent & putrefactiones apportare, quòd ſi coniunctio ſyderum illorum ſit plurium quidem ſub maioribus earum, quæ fixæ dicuntur, tum & prædicere potes

insignem aliquã portenti contagionẽ. sunt porrò & aspectus q-dã planetarũ, quibus astronomi hæc portenta tribuũt, qui nec omnino negligẽdi sunt, nec semp timendi. ex aere porrò sua quoq; indicia haberi solẽt, ac primùm quũ multę crębręq; incensiones illę apparẽt, quæ in suprema regione è vocato hypocaumate fiunt, vt cadentia sydera, cometæ, trabes, æges & id genus, putrefactionẽ circa terrã fieri ostendũt. omnia enim hęc è fomite vnctuoso & lẽto fiunt. hoc aũt monstrat vapores, qui à terra tollũtur, tales quoq; existere, quod potissimũ circa putrefactiões cõtingit. notare pręterea oportet, & alias inferioris aeris cõstitutiões. neq; enim sine suspicione est, quũ aut austri plurimi perflarint, & diu

in-

incubuerint, aut caligines quasdã prȩter modum certã regionẽ videris occupare, & si fuscus & veluti puluerulẽtus aer solẽ diu tristem reddiderit. tum verò tibi maximè cauendum erit, quũ vẽtos quosdã fueris conspicatus ex ea regione perferri, vbi pestilentia grassetur. non solùm autem timendum tibi sit, sed fugiẽdum, quum ea quȩ sub diuo ponũtur, vt obsonia & lintea, & id genus, marcorem quendã & situm contrahunt. sed & aquȩ quoq; sua signa dant, quum inundãt flumina & diu restagnãt. quũ loca paludosa cœnosaq́; relinquuntur. quũ maria pisces emortuos plures in littoribus deponunt. Terra quoque vbi plurimã infectorum generationẽ profert, putrefactiones conceptas nuntiat. quȩ
nisi

nisi totæ in ea animalia absumptæ fuerint, contagiones subesse declarant. potissimũ autẽ isthæc portendũt locustæ, quarum sæpe innumerabilis ac penè ĩfinita generatio fit, hoc autem non solùm monstrat magnã putrefactionẽ precessisse, sed sępe nouam facit. tollũtur enim quasi exercitus ingens, & in certas euolant regiones, quas vbi latè depopulatę sũt, illic sępe cõmoriũtur, vnde mox immẽsa corruptio sequitur. qualem in Africa contigisse legimus anno. 118. delatis ad littora locustis incredibili numero, atq; ibi emortuis. similiter & in Gallia euenisse anno. 864. memorię mãdatũ est. In Italia verò ann. 1478. in agro Ferrariensi, Mantuano, Veronensi, Brixiẽsiq;, & vicinis alijs quum ingens increuisset earum

rum multitudo, paulo poſt miſe randa peſtilentia ſecuta eſt. & an nis ſuperioribus etiã contigiſſet, niſi Dei optimi clemẽtia & mor taliũ cura prouidiſſet. quo tẽpo- re tantũ eius generis animantum vidimus, quantũ antea, nunq̃ vi- ſum fuiſſe putandum eſt. quarũ pars multa in huius ſupioris Ita- liæ agris reſedit, pars verſus Gal- lias euolauit diebus ſeptẽ nõ ſuf- ficientibus migrationi tanti exer citus. Idem ſæpe faciunt & cada uera cæſorum in prælijs. quin & cibi nonnulli ſunt, quorum vſus frequens nunc has, nunc illas in- fectiones producunt, alij Elephã tiam, alij ſcabiem, alij carbuncu- los, alij alia interdum & anima- lia, quæ ſub terra degunt, ſolent nonnullas infectionum ſignifica re, quum multa eorum è latibu-

lis & proprijs laribus in apertũ exeunt.

Sæpe exiguus mus
Augurium tibi triste dabit, tellure sub ima
Quem non vllus amor tenuit, sed in aera apertum
Erupit scrobibus, vitæque atque immemor vsus,
Et paruos natos & dulcia tecta reliqt.
Ipsa etiam tellus ceu nõ ignara futuri
Quum tremit, atque intus grauida suspirat ab aluo,
Signa dabit. tremuere vrbes & vertice toto
Formidauit Athos, timuitque sub æquore Nereus.

Quippè crebri terræ motus & ipsi nũtiant cõtagiones futuras, quoniã exhalatio, quæ intus concluditur, nõ solùm noxiũ quiddam acquirit, sed etiam gignitur ex ipsis maximè putrefactionibus, quæ sub terra fiunt. Adhæc & cùm vides carbunculos mul-

tos

tos & exanthemata,& bubones enaſci, timere quodammodo potes. Præſentes verò contagiones indicant, eas quidem,quę extrinſecus veniũt, multitudo eiuſdem morbi, tam & ſi non quandocunque multi eodem laborãt morbo, cõtagioſa eſt ægritudo. eſſe autẽ cõtagioſam cognoſces, & ex genere morbi,& ex ijs,quę ſequũtur.eas verò quæ primò in nobis fiunt, contagioſæ ne ſint an non, cognoſces ſimiliter & ex genere morbi, & ex his quæ ſequuntur.ſed iam de contagione, quid ſit,& quo pacto fiat,& quibus principijs,& quæ ſint contagionum differentiæ, & cauſæ, tũ & quę ſint earum ſigna cõmunia in vniuerſum dictũ hactenus ſatis ſit.

DE MORBIS CONtagiosis, Liber Secundus.

De febribus contagiosis. Cap. I.



AD hæc consequens esse videtur, vt de singulis contagiosis morbis, qui nobis cogniti sunt, agamus, qui sint, & quibus de causis fiant, & quomodo differant inter se, ab ijs incipientes, quorum cognitio necessaria magis videtur. tales autem sunt febres, quæ in contagione consistunt. de quibus tanto accuratius est agendũ, quanto plures earum nouæ inusitatęque annis nostris apparuere. in vniuersum autem de omnibus pauca quidem à maioribus nostris pro tanto negotio literis mãdata sunt. quid autem simpliciter

ter ſit febris, & quomodo fiat in præſentiarum nobis eſt ſupponē dum. Contagioſæ autem vocā tur non quæcunq; vicinū & contiguū humorē poſſunt inficere, ſed illæ ſolùm quę in alium conſimilem inferre infectionē valent, & quæ dicta ſeminaria contagionis per ſe includunt. Earum verò quę contagioſæ dicuntur, aliæ peſtilentes vocantur, aliæ non peſtilentes, & peſtilentum quædā ſimpliciter peſtilentes ſunt, quædam malignę tantū appellantur, quaſi mediæ inter peſtilentes, & nō peſtilentes: quippe contagioſarū febriū, quædā vt plurimū ſalubres ſunt, quædā vt plurimum perdētes, quædā verò partim ſalubres partim perdentes, à quibus multi quidem euadūt, multi verò pereūt, in dubio qui plures ſint, qua-

les quæ lenticulæ dicuntur.

De variolis & morbillis. Cap. 2.

Ergo de ijs cõtagiosis primò est agendum, quæ tã & si contagiosę sunt, pestilentes tamen non appellantur, ꝙ maiori ex parte salubres sint. tales autem vidẽtur illę, quas qui arabum libros trãstulere, Variolas & Morbillos vocant. per variolas intelligentes eas, quas & vulgus varollas vocat ex similitudine arbitror pustularum, qui vari dicuntur. per morbillos autem eas quas vulgus fersas nuncupat, à feruore fortasse dictas. De ijs autem græci non videntur sub alio egisse nomine quàm exanthematum, quod nomen & varium etiã apud ipsos reperitur. contingunt igitur eiusmodi febres præcipuè pueris, raròviris, rarissimè senibus.

bus. videntur autem & omnibus semel in vita aut accidere, aut aptæ esse, quæ accidunt. nisi præcox mors hominem tollat. nō facilè autem dignoscuntur adesse, priusquàm pustulæ ipsæ malum prodant. signa tamen quædā præcedūt ex quibus suspicio esse potest, eiusmodi affuturam febrem, ac primùm quum vides populariter quodammodo vagari genus id febrium, puer autem est, qui febrit, tum suspicari potes cōmuni illo teneri morbo, necessarium tamen non est: quare & alia signa spectato, si cōuersatus est cū alio affecto, si lucent oculi, si dorsum confractum sentitur, si facies rubet. febris autem continenter affligit, morosa quidem magis quā mordax, hęc enim primū indicia apparent. tū interroga num alias

senserit eiusmodi febrem, quæ solet exãthemata illa apportare. raro enim fit, vt qui semel affectus fuit, denuo etiã patiatur. tum vide si quid à natura ad cutim pellitur, nam vt plurimum circa quartũ diem, aut paulo post, apparere solent primũ quidẽ sparsæ quędã ceu maculæ rubentes, mox manifestius in pustulas cõcrescunt, interdum humidiores & varis similes, interdũ sicciores & similes ijs exanthematibus, quæ ex calore solent pueris euenire, quas vulgus sufferfuras vocat. Vtræque mox tenui quadã pituita & sanie replentur, ac per ipsas soluitur ægritudo, facillimè quidẽ pueris, difficilius autẽ grandioribus. propter quod matres optare solẽt febres hasce filijs aduenire quũ tenera in ętate sunt. Cõtagiosæ igitur

tur

tur sunt, quoniã quod exhalat in putrefactione lentũ admodũ est, & seminarium cõtagionis in alterum, eo pacto quo in alijs fieri diximus. maiori autẽ ex parte salubres sunt, quoniã ebulitio hęc purificatio quædã sanguinis est. neq; enim contẽnẽdi sunt, qui dicũt infectionem à sanguine mẽstruo contractã in vtero matris, secerni per eiusmodi ebulitionẽ & putrefactionem eius, ac sic defecari sanguinẽ per quandã quasi crisim à natura factã. propter quã causam omnes ferè hunc aspectum patimur, quoniã omnes eam infectionem menstrualẽ deferimus à vẽtre matris. qua de causa non perdit, vt plurimũ febris hæc per se, sed purgat magis. pueris verò benignior est, q̃ adultis. quoniam si qui per ætatẽ teneram eã sangui-

nis infectionem nō expurgant, si gnum est esse malè idoneā separari. quare mox quum in grādiori ætate fit separatio illa, cōtingit quidē vi multa, & affligit magis. minus autē quum mollior est san guis, & aptior vt separetur ab eo labes illa: ob id etiā quum semel accessit nō reuerti prętereà solet, quoniam secreta iam sit infectio, visa tamen quādoq; fuit bis accessisse, quibus scilicet prius nō exactè secreta fuisset. Si igitur sanguis pituitosior sit, pustulæ variformes fiunt albæ, rotundæ, mucore quodam plenæ. si verò biliosior extiterit, pustulæ sicciores erumpunt. analogia autem eius cōtagionis ad eam sanguinis superfluitatem est, quæ è mēstruo sanguine cōtracta fuit. quare ad eos solū analoga est hæc infectio, qu
bu

bus purificatio ſanguinis non eſt facta. propter quod nec omnes inficit, nec humores omnes, nec plura de his dicantur.

De peſtilentibus febribus. Cap. 3.

NVnc de peſtilentibus vocatis proſequamur, quarum aliæ, vt plurimum perdunt verè peſtilẽtes vocãtur, aliæ multos ſolùm perdunt, malignæ appellatæ, communi autẽ vocabulo omnes peſtilentes nuncupari ſolent. de quibus accuratiſsimè perquirendum eſt, omnes enim peculiarem quandam & rationem, & curationem habere exiſtimant. quæ autem peculiaris ratio ſit, nondum planè aſsignare video. quidã breui ſeſe ab hac difficultate explicãtes, ad occultas proprietates recurrunt. de quo multa in ſuperioribus dicta

sunt, quę hic non aliter repetētur tāquam nihil dicentibus & docētibus, qui difficultates propositas per ignota soluere student. Galenus verò interdum videtur dicere pestilentes febres habere quandā venenositatem, & per hoc differre ab alijs, interdum peculiare ijs inesse, vt putrefactio circa cor sit, quandoq; quidē in substātia eius quandoq; in contentis. de quo rectum est rationē habere. nā quid sit venenositas illa, non declarat Galenus, & vtrum verā venenositatem intelligat, an magis assimilationem quandā interficiendi. ꝙ si verā venenositatem intelligit, oportebat dicere in quo consisteret. venena enim aut per materiales qualitates, aut per spirituales necant. quod verò dicit peculiare esse his febribus, vt aut cordis sub

ſtantiã putrefaciãt, aut contenta, rurſus dubitationem non paruã habet. qua de re Montanus ciuis noſter primarius, iam & nunquã ſatis laudatus in re medica, & in quem, ſi Pythagoricè loqui licet, Galeni anima migraſſe videtur, ſubtiliter quidem multa diſſeruit pro Galeni placitis, quãtum quidem videre potui ex ſcriptis quibuſdam, quæ ſub eo ordinariam medicinæ Patauij legente ab auditoribus notata & literis mãdata fuere. quæ quum forte ad manus noſtras tum perueniſſet, quũ & ipſe de hiſce febribus ſcriberẽ, ſuſpenſum me admodum reddidere, quum ego alia via fortè fortuna incederem. nã ſi inceptis noſtris perſiſtere voluiſſem, nõ ſolũ timor oboriebatur, quomodo mihi ipſe conſiderem deuiãti ab eo-

rum calle, ſed & rem valde arrogantem videbar aggredi, qui & à primo Galeno & à Secundo diſſentire auderem. quocirca quum quaſi decreuiſſem retractare quę cunq; de ea materia ſcripſiſſem, rem tamen cum quibuſdam amicis communicaui, qui ingenuè cõſulentes perſuaſerunt, quæ ego iã ſcripſiſſem, tametſi viderētur nouo calle procedere, emittenda tamen eſſe non per aſſertionem aliquam, ſed vti problemata magis. quæ igitur Montanus noſter ex Galeni placitis tradit, hæc ferè ſunt. Febres quæ peſtiferę vocantur differre ab alijs, quę in putrefactione conſiſtunt, ꝙ peſtilentium putrefactio vel in ſubſtãtia cordis ſit, vel in contentis. in alijs verò iam nec putrefactã eſſe cordis ſubſtantiã, nec contenta. trãſ-

mitti quidẽ ad cor vapores putri dos, atq; accendere tũ cor, tũ contenta. putrefacere autẽ nõ. ꝙ ſi eò veniant, aut putrefaciant, iam febrem peſtilentem eſſe. porrò peſtilẽtem omnem febrem hecticã etiã eſſe, ſiquidem facta putrefactione in corde aut contentis fieri non poſſe, vt iã confirmata nõ ſit: atq; hinc illa contingere, quæ in peſtiferis apparẽt febribus, nõ ſentire ſcilicet ægrum ſe febrire, pulſus nõ magnos, nõ citatos percipi, maximam mortalium partẽ perire. conuenire autem peſtilentes febres partim cũ putridis, partim cum hecticis: cũ putridis quidẽ, quia omnino febres hæc à putredine pendent. cum hecticis verò, quia iam cõfirmata ſit febris. verùm neq; ſimpliciter hecticas dici debere, nec ſimpliciter putri

das

das, sed pestilentes hecticas & putridas. Venenositatem autem earum non aliud esse, quàm gradū putrefactionis largioris circa cor. Atq; hæc ferè sunt, quæ ego scripta vidi. quæ si bene considerentur, non paruas habent difficultates, ac primū ꝙ progressus hic nō declarat cur pestilentes febres cōtagiosæ sint, quod peculiare quiddam & proprium videtur cum ipsis iungi. præterea si quæratur cur in ijs putrefactio est in corde aut contentis, dicere quidem videntur causam esse, quòd ingens & larga quædam fit putrefactio, per quam accidit & cor aut contenta infici. si verò rursus quæratur cur fiat ingēs illa putrefactio, contingere dicunt ex pręparatione, hoc est nimia humiditate quę vel intrinseca est, vel extrinsecus acc

accedit. quod certè nõ minorem habet difficultatem. nã primò mirũ videtur in decẽ millibus hominum, qui in peſtilentia pereũt, eã eſſe præparationem in omnibus, præſertim quod videmus innumeros exactiſsimè ſanos exiſtẽtes, & nullo vitio humorũ deprauatos, concipere tamen cõtagem illam ex ſola conuerſatione cum peſtilẽtia affecto, aut ex illius veſtibus. quidnam igitur in hoc fecit illam ingẽtem putrefactionẽ? quũ nec obſtructiones fecerint, nec humiditas aut propria, aut ab aere acquiſita, quare aliquod aliud principium aſsignari neceſſe eſt, quod in cauſa ſit. oportebat præterea declarari qualis nam eſſet ea ingens putrefactio. nũ quãtitate ingens & mole, an gradu actionis. nã ſi actione ingens, cur

ardentissimæ causones & furētes non tamen pestilentes sunt? quin nec illæ, quæ ex eruginosa colera sunt. si verò quantitate ingens est quæ necessitas erat ponere cor ipsum putrefieri? poterat enī sufficere quantitas illa ingens putrefactionis. Ad hæc & illud dubiū est, si adeo ingēs est putrefactio, cur nō sentit æger se febrire, quū aliæ alioquin minoris putrefactionis inflāmationem indicant? nec recurri ad hecticam posse videtur, quando multo ante quàm hectica fiat, putrefactio illa ingēs fit, imo causa cur hectica fiat, est putrefactio circa cor, illam autem facit ingens putrefactio per corpus reliquum. cur ergo prius non sentitur, quàm hectica facta sit? postremò & mirum illud videtur in his febribus putresce-
re

re cor aut & contenta. ſtatim enim videretur animal perire, quoniam ne eryſipelata tolerare poteſt delicatiſsimum membrum. non perire autem hominem ſtatim manifeſtum eſt, ſed maiorem partem peſte affectorū vltra quartum & ſeptimum viuere, quin imo & multos euadere, quod certè fieri poſſe non videtur, ſi febris iam hectica confirmata eſt.

Præterea cur & aliæ hecticæ non ſunt peſtilentes, quando febris confirmata eſt in corde, & ſi vapores putridi circa cor ad id venerunt, vt poſsint facere hecticā & confirmatam caliditatem in corde, videntur etiam poſſe & putrefactionem facere, aut in ipſo, aut in cōtentis ſaltem: quod ſi ſit, neceſſatiò perire oportere peſtilētes omnes videtur. atq; hæc ſunt,

quæ dubitationem faciunt circa positionem hanc. quare non tacebo quę ego prius conceperam, paratus opinionē mutare, si minus satisfacere videbuntur. Inhærendo igitur fundamentis illis, quæ circa cōtagionum naturam iacta sunt, dico pestilētes febres ab alijs putridis differre in multis. primū in principio agente, deinde & in materia seu modo putrefactionis ac demū in accidentibus proprijs quæ sequūtur. quippe in alijs putridis principia & causæ putrefactionis sunt, aut obstructio, aut plenitudo, aut malitia humorum in quantitate vel qualitate. voco autem principia hęc agendi, quia causę sunt cur à caliditate loci putrefactio fiat. in pestilentibus autem febribus, nullum horum per se causa est, & principium putrefa

fa

factionis. poſſunt enim eſſe in ali
quo mẽſuratè humores, poteſt
abeſſe omnis obſtructio, omnis
plenitudo, peſtilentia tamen ab
alio concipi. oportet igitur eſſe
aliud principium per ſe eius con-
tagis. nihil quidẽ prohibet quã-
doq; & has diſpoſitiones adeſſe,
ſed accidunt quidem quantũ ad
id quod ꝑ ſe agit. æquè enim pu-
trefactio fit, ſiue adſint, ſiue non,
quinimò illud fieri poteſt, vt in
aliquo præparatũ ſit, aut phleg-
ma, aut colera vt putreſcãt ex prę
dictis principijs, minus tamẽ cor
ripiantur à cõtagione, quàm hu-
mor alius, quod analogia nõ ſit
ad illos. quare nec omnes putre-
factiones, quæ circa terras & ae-
rem fiunt, etiam diſponũt ad eã,
quæ circa peſtẽ verſatur, ſed cer-
tæ ſolùm. ſi igitur rectè tradita
V ſunt,

ſunt, quæ de contagione à nobis ſunt dicta, principia quidem contagionum per ſe ſunt ſeminaria ipſa, de quorũ natura tanta narrata ſunt, quæ quidem tametſi cõmuni quodam principio cũ vaporibus & loci caliditate conueniunt in agendo, peculiarẽ tamẽ quandam ſortita naturam ſunt, & rationem putrefaciendi. in primis enim diximus habere ea vim & actionem multam, tum & miſtionem fortem & elaboratã, nec non & miſtionem in lentore cõſtitutam, ac demum non materialem ſolùm antipathiam ad calorem naturalẽ & ad animã ipſam, ſed & ſpiritualẽ. hæc igitur quũ ita ſe habeãt, longè diuerſam putrefactionem ab alijs faciunt. ſi quidem in alijs ſuperficialis quodammodo ſit putrefactio, nõ profun

funda, & ſordida, in his autē pro fundiſsima & ad partes vel peni-tiſsimas eius quod putreſit. qđ quidē iccirco accidit, primò ꝙ ſeminaria nō paruæ actionis ſunt, quemadmodum ſimplices vapores, ſed longè maioris, propter fortem miſtionem, propter quã nec cito & facilè alterantur, ſed pręſtant, & actionē cõtinuãt. propter lentorē autem agglutinãtur valde illi humori, ad quē habent analogiam. in quem incumbentia cito diſſoluunt, actiua multũ quũ ſint & humida, ad quod nõ parum adiuuat ſpiritualis antipathia, quæ naturalem calorem fugat & propellit, à quo deſtitutus humor cito cõtrahit putrefactionē profundã. fit etiã putrefactio illa non profunda ſolũ, ſed & valde larga, hoc eſt multarum par-

tium, quoniã seminaria hinc inde dispersa sunt, & hæc alia ceu sobolem generant, illa alia. rectè igitur dicebat Montanus magnã putrefactionem in pestilentibus febribus fieri, sed rationem non dedit per se id faciẽtem, assignãs humiditatem contractã & pręparantem. Differunt præterea hæ febres ab alijs putridis in accidẽtibus proprijs. ad has enim sequitur esse contagiosas ad aliũ. cuius causa assignari non aliter potest, quã per rationẽ seminariorum, quæ ad alium delata tale in secũdo faciunt, quale in primo fuit. ꝙ si pestilens aliqua febris primò in nobis fiat, nunq̃ tamen esse pestilentem dicimus, nisi tum quũ seminaria cõtagiõisiã facta sunt, quare æquè est, factam esse febrẽ ex seminarijs, & aptã esse ex ijs fieri,

fieri, atq; ea p se includere. si igitur licet pestilentē febrē diffinire, dicemus esse febrē sordidæ & profundæ putrefactionis, includentē seminaria acutissimę cōtagionis per se. propter quod & letalis est, & ad aliū cōtagiosa. atq; hæc per se ratio est pestilentis febris, nō autē quod vel cor, vel contēta in eo putrescant. nihil quidem prohibet, & ad illa putrefactionē deferri, præsertim si analogia ad illa sit. sed siue hoc sit, siue non ratio nō est hæc pestis, sed fortè ratio vehemētioris pestis, & citius interficientis. quod autem per se est, & (vt aiunt) formale, est esse febrem per se includentē seminaria cōtagionis letalis. ppter quā causam quę è venenis fiūt febres letales quidem sunt, sed non pestilentes, quoniam contagiosæ

non sunt. carent enim eo quod formale est, & per se ratio pestilentiæ.

De Differentijs pestilentum febrium, & Accidentibus earum.
Cap. 4.

PEstilentum verò febriũ aliæ extrinsecus in nos veniũt, aliæ in nobis primò fiunt, aliæ omnes perdunt, aliæ maiorem partem, aliæ multos solùm. diuersa porrò est earũ analogia & admiranda: quædam ad sanguinem præcipuè analogę sunt, quædam ad coleram, quædã & ad humores alios, aliæ promiscuè ad omnes, & aliæ ad spiritus solos, aut ad ipsos maximè, & q̃dã citissimè perdũt, q̃dam serius. extrinsecus veniũt, quorum seminaria prius concepta sunt,
aut

aut in aere, aut terra & alijs. oportet autē & ea prius corrupta fuisse, si propriè contagio dicenda est. dico autem seminaria, non vapores simplices, multū enim differt (vt diximus) inter seminaria & vapores. In nobis autem primò fiunt, quæ è communibus quidem causis cum alijs originē habent, vt plenitudine, obstructionibus, & humorum malitia. verùm putrefactio & sordida est, & conclusa, eiusmodi autem vt in ea seminaria fiant contagionis perniciosæ. nihil enim prohibet sæpe talem in aliquo primò fieri, mox ab illo in alios importari. omnes autem perdunt, quæ ad spiritus & spiritualia analogiā habent, maximè quæ extrinsecus veniunt p anhelitū attractę cōtages. maiorē verò partē peri-

mũt, q̃ ad acutos humores analo gę ſunt, p̃ſertim ſi & ipſe extrinſecus apportentur. multos autẽ ſolùm, quæ ad craſsiores humores rationem habent. quo autem modo & quibus de cauſis diuerſę ſint analogiæ earũ, ſuprà quidem demonſtratũ vniuerſaliter fuit. quare nunc non aliter repetendum erit. Sed iam de accidẽtibus earum dicatur, quatenus ſigna & notitia earum haberi poſſint. primũ ergo quòd per ſe has febres ſequitur, eſt eſſe contagioſas, quod & maximũ eſt earum ſignũ. quod quoniã non ſemper datur videre poſſe, alia ſigna attẽdenda ſunt, commune autem eſt omnibus ferè, per initia omnia videri valde placida. ita vt vix febrire exiſtimetur, qui nihilominus latẽtẽ peſtẽ cõcepit. pulſus,
vri-

vrinæq́; id atteſtantur, ſed ita tamen vt peritũ nõ lateant. per proceſſum porrò tametſi ſua ſunt augumenta tota, tamẽ per ſe febris placida videtur & lenis, calor tactu mordax nõ eſt, introrſum verò moroſus magis, quàm acris ꝑcipitur. quippè interrogati, qui ægrotant num febriant, nõ febrire ſe dicunt, ſed tamen in anguſtia quadam verſari. decubitus ſupinus eſt, dorſum perinde ac verberati, anhelitus ſolito longior, pulſus non citatus, non altus, ſed præſſus magis & vix audens ſe attollere. hęc ergo ſigna ꝑ primos morbi proceſſus apparent, quæ quum vides, tum ad alios ſpectato, quos febres tenẽt, ac quũ multos emori vides è conſimili morbo, tunc time peſtilẽtẽ eſſe febrẽ cui aſtas. in dies autẽ certiora ſe

ostēdent signa: nā vel maculæ in cute apparebūt, vel abscessus circa emunctoria vocata. oculi adhæc subrubent, & vacillāt, anhelitus extraneo quodā fetore grauis est, quo solo signo periti, sæpe pestilentē febrē deprehēdūt, verba sępe dicūtur multa, & īterdū incōposita, caput grauescit, & modo vigiliæ, modo somnus nimius ægrū tenet, Hypocundria tendūtur. egestiones liqdæ sunt, corruptæ longinquę à forma fecum & humorū, fetentes. vrinæ aūt subiugaliū similes, aut quasi vinū granatorum, aut tenues crudę, aut cōfusæ, rubræ. quandoq; & similes sanis sunt, lingua sordescit. virtus omnis labat & fatiscit, mala autē signa sunt, deliriū perseuerans, vrinæ detentio, fluxus sanguinis nariū ad quē allevia-

uiatio nulla consequitur, ventris deiectio multa per initia oborta, vel è leui pharmaco facta, apparitio macularũ & abscessuũ, ac subita mox delitescentia. Quòd igitur per initia mites appareant hæ febres, nihil mirum videri debet, quum toto genere, & in toto processu lenes plurimũ sint. causam aliqui reddũt, quòd nec nos tangẽtes ardorem febris sentiamus, nec æger ipse. nos quidem quia febris hæc extrorsum quieta est, introrsum turbãs, æger verò neq; ipse sentit, quoniã hecticam febrẽ patitur, de qua supra dictum satis fuit. Nos è nostris principijs causam inde esse arbitramur, ꝙ ꝓfunda admodum fit putrefactio, in qua acrimonia oĩs multũ obtũditur & hebescit, humido multo simul euaporãte, &

lentore tãto facto. in febribus autem quę in sicco consistunt, quales sunt colericę, acrimonia & feruor sentitur, mēbra exuruntur, sitis vexat, ariditas linguę fit, quoniam igneum est, quod euaporat & siccū. propter quod nec contagionem facit, quoniã non agglutinatur, quãquã magnæ actionis sit. est fortasse & alia cõcausa cur peste laborantes febrem nõ sentiant, quòd sensus illis magnopere obtusi sunt, obsepti tanta putredine, in qua virtutes non solũ dissoluuntur, sed nec transmittũtur ad sensitiua mēbra. quòd verò pulsus parui sint, & rariores, rursus causam assignant alij, ꝙ pestilentes hectici fiant, quare quum nec caliditatem nouã percipiant, pariter nec noua euentatione indigēt, vnde & pulsus nõ

valde diuersi sunt à seipsis sanis existentibus. Nos si licet, aliam causam asignamus, illud preno tantes, quòd natura semper illud eligit, quod aut melius est, aut mi nus malum, vt in ijs diximus, q̃ de sympathijs tractata sunt. sicut igitur oblato fetore aliquo à natura fit, vt vix anhelimus, vix ha litum per nares trahamus, quasi sic minus aperiatur aditus fetori. ita lata ingenti, atq; abominabili putrefactiõe seu exhalatione ad cor, vix audet natura ipsum dila tare, vix venas tollere, quo minus via putredini aperiatur, quare tantum tollit, quantum vix sa tis est vitę & euentationi cordis. propter quod pulsus paruus fit, & rarus, & anhelitus longior & angustior. cõstrictio verò seu expiratio velocior, quàm dilatatio

&

& inspiratio. quod & in pulsibus etiam venenatorum cõtingit, vt sępe vidimus. Vrinæ autẽ vt plurimũ subiugaliũ similes sũt. propter multã & diuersorũ ebulitionẽ, quòd si humor crudior fuerit albida sępe vrina fit, & subtilis, si verò sanguinis excrementa redundẽt, rubra exit, & cõfusa propter ebulitionem, quæ si subadusta & subtilia fuerint, aut tenui melancholiæ admista, similẽ vino granatorũ vrinã faciũt. sed iã particulares febres ꝓsequamur.

De Ephimera pestilenti in Britania Cap. 5.

IN Britania insula, quæ nũc Anglia vocatur, genus est pestilentis febris & cõtagiosę, quę ad ephemeras referenda videtur, quòd die vna aut hominẽ perdit, aut liberat.

est

eſt aũt nõ cõtagioſa ſolũ de vno in aliũ, ſed & vagatur etiã de ciuitate in ciuitatẽ, nõ tantũ per eam inſulã, in qua ferè vna videri ſolet, ſed ſępe & ad vicinos Belgas deferri viſa eſt. quapropter & vitio aeris pręcipuè enaſci cẽſendũ eſt. cur aũt in ea inſula pręcipuè oboriatur, vniuerſalis quidẽ cauſa eſt analogia eius aeris. particulatim verò in quo ea cõſiſtat analogia difficile certe eſt noſſe. quã quàm ſunt, qui dicant id è ſoli ratione contingere, quod maximè gipſeum eſt, vnde & Albiõ olim appellatã fuiſſe volunt. certis igitur conſtitutionibus humidis, vapores è ſolo illo accidit eleuari, ſubtiliſsimos quidem, corruptos tamen, qui & ſubtilẽ etiã inferũt cõtagionem, cuius analogia eſt, vel ad ſpiritus, vel ad tenuem

ſpu-

ſpumam, quæ ſanguini ſupernatat. quæcunq; autē cauſa ſit, conſtat analogiam eius contagionis eſſe ad ſubtile ſanguinis. propter quod die vna aut finitur ægritudo, aut æger. vt plurimū autem finitur ægritudo per ſudorē, vnde & febrem etiā ſudorem appellant incolæ. Nullis verò alijs medicamētis vtūtur aduerſus ipſam quā expectatione ſudoris, nā quibus aduenit, omnes ferè euadūt, quibus autem retinetur maxima pars perit. quare cura omni & diligentia procurāt ne impediatur ſudor, quod vel facillimè accidit, ſi tantum æger ſitum, atq; accubitum mutet. qua de cauſa iubēt medici, vt æger integra die vna ſitum nō mutet. quā moleſtiam qui ferre poſſunt, mercedē laboris recipiunt & euadunt. qui verò ferre

ferre non valent, ſed ſe iactant, decubitum mutant, nouum aerem aucupantur, impedito ſudore ſua cauſa pereunt.

De febre quam lenticulas vel puncticulas vocant. Cap. 6.

SVnt aliæ febres quę mediæ quodammodo ſunt inter verè peſtilentes & non peſtilẽtes, quoniã ab ijs multi quidem pereunt, multi etiã euadunt. Contagioſæ autem ſunt, & iccirco naturam peſtilentum ſapiunt, appellari autem ſolent malignæ magis, quã peſtilentes, quales illæ fuere, quæ annis. 1505. & 1528. in Italia primum apparuere, æta te noſtra non prius notæ. certis verò regionibus familiares, vt Cypro & vicinis inſulis, maioribus etiam noſtris cognitę, vulgus lenticulas aut puncticulas appel

lat, quòd maculas proferant lenticulis, aut puncturis pulicum similes, quidam mutatis literis peticulas dicunt. de quibus diligenter agendum videtur, q̄ & nunc quoq; crebro visantur, modo cõmunes multis, modo quibusdam particulatim contingentes. visi etiam sunt, qui ex Italia in alias regiones profecti, vbi nullæ essẽt eiusmodi febres, ex ijs tamẽ perierint, quasi secum infectionẽ detulerint. quod clarissimo & doctissimo Andreę Naugerio oratori pro Illustrissima Venetorũ Rep. apud regẽ Gallorum annis superioribus cõtigit. ex hac enim labe interijt in ea prouincia, in qua ne nomine quidem nota erat ægritudo eiusmodi. vir eius doctrinæ & ingenij, vt nulla maior literarum iactura sit facta iã multis

tis

tis annis. Contagiosa igitur est & hæc febris, sed nõ celeriter, nec fomite & ad distans, sed tãtum per tractationẽ infirmi. per initia autem quum febres omnes pestilentes placidæ sint, & mites, tum hęc adeò placidè inuadit (vt vix admittere medicum ægri velint) vnde & medicorum multi plurimũ decepti sunt, expectantes resolutionẽ morbi paulò pòst, nec quicquam cõtra parãtes, mox verò signa malignæ febris aperiebãtur: nã quanquã calor mitis pro natura eiusmodi febriũ sentiebatur, internè tamẽ perturbatio quædã percipiebatur, tũ & fractio in toto corpore, lassitudoq́; more fatigati, decubitus erat supinus, caput grauescebat, sensus hebetes erãt, & mẽs magna ex parte post quartũ aut septimũ nõ cõstabat.

oculi rubescebāt, verba multa dicebantur. vrinę primū exalbidę, vt plurimū cernebantur plenę tamē, mox rubentes & confusę, aut similes vino granatorum, pulsus rarus, & humilis qualē diximus, excremēta corrupta fetētia. circa quartū & septimū in brachijs dorso & pectore maculę rubentes, sępe & puniceę erūpebant punctu ris pulicum similes, sępe maiores imitatę lenticulas, vnde & nomen inditum est. sitis autem aut nulla, aut parua aderat. sordescebant tamen lingua, somnolentia quibusdam aderat, quibusdam & vigilię, interdum in eodem vtrūque per vices, status alijs ad septimum, alijs ad quartumdecimū, alijs & vltra, vrina quibusdam detinebatur, quod pessimum signū erat. ea febre mulieres paucę, se-

nes

ſenes paucíſsimi, Iudęi ferè nulli deperiere. iuuenes & pueri multi & ij quidem nobiles cõtrario modo, ac peſtilentes veræ conſueuere, quę quũ vulgum pręcipuè capiant, tum hæ febres maximè in nobiles graſſari viſę ſunt. perituros ſua ſigna pręcedebãt, ſicuti & euaſuros mala erãt, ſi ſtatim ęger virtute defici ſe ſenſiſſet, ſi aſſumpto leui pharmaco ingẽs alui deiectio ſecuta fuiſſet, ſi facta criſi non acceſsiſſet alleuiatio, nã vidimus quibus libræ tres ſanguinis erupiſsẽt è naribus, paulopoſt tamen obijſſe. malũ itẽ ſi vrinę detinebãtur, ſi lẽticulæ delituiſſent, ſi ęgrè erupiſſẽt, ſi liuidę fuiſſent & valdè puniceę, quę ſi aut oĩa aut plura ex his acceſsiſſẽt certiſsima ſeq̃batur mors. euaſio verò ſi cõtraria aut oĩa, aut plura apparuiſſẽt.

De Causis. Cap. 7.

HAEC quidem in propatulo erant & ante oculos, quibus autẽ de causis & quomodo euenissent, magna inter medicos discrepantia, magna altercatio erat, varijs varia existimantibus. alij adustionem & acuitatem in causa ponebant, alij plenitudinem, alij intranspirationem corporum, alij occultã proprietatem, quare & quisque pro existimatione sua auxilia afferebat, non sine artis ludibrio, quòd vulgares non lateret tanta dissensio. quoniam autem vagantes erant hæ febres, & multis vno tempore communes, communẽ quoque causam, tum habuisse cẽsendum est, præcipuè autem contractam ab aere, quod satis rationabile apparet. quando anno. 1528.

præ

præcedente hyeme auſtrina pluuioſa, vere quidem multa flumina inundauere, apud nos quidem Atheſis & Padus, apud alios alia fuere pariter & caligines quædã, quibus arborum germina olearũ preſertim, quàmplurima aruêre. quibus de cauſis & principium his febribus datum credendum eſt. quæ verò ſparſæ nunc apparẽt, cauſamparticularem in nobis habent. in quibus primæ fiunt, & conſimilem putrefactionem acquirunt, qualis illa fuit, quæ primum communem multis originem ab aere traxit. quoniam autem cõtagio hæc per comparatio nẽ ad verè peſtilentes, ſatis mitis apparet, nec celeriter contrahi ſolet, nec fomitem relinquit, nec ad diſtãs protẽditur, ſed tardè & per tractationem ſolam (cẽſendũ eſt

ſeminaria ipſius nõ eſſe admodũ acria) nec fortem illã elaboramq́; miſtionẽ habere, ſed magis apta eſſe, vt & alterẽtur facilius, & nõ agglutinẽtur quemadmodũ alia ſolent, quæ fomitem relinquũt. & in ſumma quæ à natura vaporum nõ multũ remota ſint. acria tamen quãtum ſufficit eiuſmodi contagionem inferre. Conſimilẽ ergo infectionem in aere primũ fuiſſe cenſendum eſt, quę mox in nos ingeſta tale febrium genus attulerit, quę tametſi peſtilentes vere non ſunt: in limine tamen earum vidẽtur eſſe. Analogia verò eius contagionis ad ſanguinẽ pręcipuè eſſe conſtat. quod & maculæ illę quę expelli conſueuere, demonſtrãt. omnes enim rubentes ſunt, principij colorem & rationẽ retinentes. qua de cauſa & magna

etiam & late fuſa eſt putrefactio, propter humiditatem & fluxibilitatem ſanguinis, eadem de cauſa & lenior etiãnum eſt hæc, quã peſtilentes aliæ. non poteſt tamē non moroſa ſentiri, facta magna introrſũ euaporatione prauæ putredinis. propter quod & laſsitudo quoque ſentitur, & mens non conſtat, & caput grauat, & oculi rubēt. quæ euaporatio quoniam lenis eſt, & tractabilis rariſsimè ſolet phreneſim facere, quod multi medicorũ timere ſolent, videntes delirium fieri. porrò nec mirũ eſt, ſi egeſtiones corruptæ liquidæq́; apparent, tam larga quum putrefactio fiat. vnde & malum erat ſignũ ſi aſſumpto leui pharmaco ingens deiectio ſecuta fuiſſet, præſertim primis diebus. ſignum enim erat valdè amplã eſ-

se corruptionem. Somnus autem ijs multus obrepebat, quibus pituitosior erat sanguis, vigiliæ verò quibus biliosior. maculæ autē apparebant in cute, natura foras pellente quam poterat partem infectionis. nam & modo per sanguinis fluxum è naribus, modo per sudorem, modo per alui deiectionē exonerabatur. sed salubrior erat, quæ per eiusmodi maculas tētabatur expulsio, propter quod multi eorum euadebāt, quibus largè fiebat ea, multi verò peribant, quibus raræ & sparsæ erūpebāt maculę. aut vbi erupissent, delitescebant. significabat enim aut naturā nō esse potētē, aut materiā malè obedientē, quæ aut expelli non posset, aut retrocederet natura tentante aliam expulsionem. Sanguinis verò efluxio per
nar

nares, nullos penè leuabat, quoniam magnum quidem ſtimulũ arguebat, & naturam maximè cogi ad expellendum quà poterat cõtrarium, quod in maioribus venis inerat, ſed ea via non erat idonea ad expellenda ſeminaria contagionis, quæ maximè in minoribus venis ſedem habebant, vtpote quæ extrinſecus acceſsiſſent. ſimiliter nec multum proderat vẽtris deiectio, quoniam corrupta quidem materia expurgabatur, ſeminaria autem non. quare ex omnibus cõuenientior erat, quæ per cutim expulſio fiebat. primũ quidem per maculas facta, mox & per ſudorem. propter quod & multi viſi ſunt euaſiſſe, quibus largus ſudor ſuperueniſſet. per has enim vias magna pars ſeminariorum, vnà cum ſubtili parte ſanguin

guinis excernebatur. detinebatur autem interdum vrina, siue quòd absumeretur aquositas, siue q̄ alio verteretur, vt in maculas vel sudorem, siue quòd redundantia nimia humorū, aut crassities vias obstrueret, siue deficeret virtus. propter quod pessimum erat signum. pueros autem & iuuenes carpit magis ea cōtagio, quod in ijs plus adsit sanguinis & humidioris ad quem habet analogiā. tum verò & ij foramina magis aperta habent & calidiores sunt, vnde attractio fit maior, tum per venas, tum per anhelitū. propter quam causam & qui negotiabantur magis, magis etiam carpebantur. minus autem ociosi & frigidi & sicci natura, quale ferè est senū & Iudęorum genus. mulieres verò frigidæ & ipsæ sunt, & densio

ris

rìs carnis. porrò nobiles magis, q̃ plebs hac tanguntur labe, contra verò peſtilentia magis plebs quã nobiles, quoniam peſtilentia potiſsimum in cõtagione vnius ad alium verſatur minus vitio aeris. hæc autẽ infectio magis aeris vitio, quàm trãſitu vnius in alium. ab ea igitur contagione, quæ ab vno in alium tranſit, magis caue re nobiles poſſunt, propter diuitias & cõmoditates alias, quibus plebs caret. ab ea verò quæ depẽdet ex aere minus defendi poſsũt nobiles, quàm plebs, quoniam ea cum communis omnibus ſit, magis eos occupat, qui delicatiores ſunt, & minus robuſti, quique & plus habẽt ſanguinis & humidiores ſunt, quales ſunt nobiles, propter luxũ & vitæ quietem. plebs autem & robuſtior eſt, & ſiccior

vtpot

vtpote fatigata magis & victus parcioris. ita igitur se habent lenticulares febres, & ex his causis fiunt. nunc de verè pestiferis dicamus.

De verè pestiferis febribus. Cap. 8.

QVæ verò pestiferæ propriè dicuntur febres, partim quidem cum his conueniunt, partim differunt. conueniunt quidem natura quadam cõmuni, quòd contagiosæ omnes sunt, & per eundem modum afficiunt. differunt autem quòd pestilentum contagio longè promptior est, & celerrimæ susceptionis, tũ verò & fomitem quoq; relinquit, & ad distãs sese etiã extẽdit. item & aut omnes, aut maiorem partem eorũ perdit, ad quos pertingit. Sæuiora quoq; sunt & reliqua accidentia, nam & virtus

velocissimè, & multa exoluitur, & pertutbatio quæ interna est, lõgè maior sentitur. nõnullę quoq; sunt, quæ per initia ardentissimã febrem apportãt, tametsi reliquæ & illę etiam mox lenes apparent pro natura totius generis. vigiliæ vt plurimum infectos tentãt, quãdoq; sopore commistæ. pulsus & in his quales in alijs percipiuntur rariores, & humiliores quã ægritudo videatur poscere. Vrinæ cõturbatæ aut albæ, aut etiam similes sanis. egestiones corruptæ, liquidæ, fetẽtes. In quibusdã bubones aut parotides, aut alij abscessus apparẽt. maculę aut nullę, aut rarius in ijs visę, quod alioquin mirũ est, quum materia harũ febriũ sit longè subtilior. sunt & harũ differẽtiæ inter se quædã. aliæ extrinsecus in nos accedũt præ-

ci

cipuè ab aere. qui quũ corruptus est, & seminaria statim in nos trãs fert, tum nihil mortalibus misera bilius potest accidere. verum rarissimè contingit, vt ex aeris corruptione pestilentia contingat. aliç ab ipso quidem originem trahunt, sed non statim ab eo seminaria recipiunt, sed aut vapores, aut consimiles quosdam affectus & dispositiones, à quibus mox febris in nobis primò pestilens fit; & ab vno in alium transmittitur, aliç & in nobis primò fiunt nõ vitio aeris, sed aliorum vt ciborum, & vniuersaliter vitio eorum, quç prauas putrefactiones facere con sueuere.

Quoniã igitur celerrimè susci pitur hçc cõtagio, existimãdũ est acutissima & subtilissima esse earum febriũ seminaria, & analo-

giam

giam pręcipuè habere, aut ad ſpiritus & ſpiritualia, aut ad bilioſos humores. qua de cauſa nõnullæ interficiunt paucis horis, quæ ſcilicet ad ſpiritus & ſpiritualia analoga ſunt, & antipathiam habent nõ ſolũ materialem, ſed & ſpiritualẽ. nõnullæ ſerius necãt. perdunt autẽ vel omnes, vel maiorem partem. omnes quidẽ quę ad ſpiritus, & ad cor habent antipathiam vtrãq;, maximè autẽ ab aere pendent, & per anhelitũ attrahuntur: maiorem partem, quę in humoribus ſedem habent bilioſis aut ſanguine exuſto, aut etiã puro, propter quæ & vigilię magis adſunt in his febribus, q̃ in alijs, quæ tamen in ſanguine fiunt (præſertim ſi pituita abundet) coniunctũ vigilijs ſomnum afferunt. cęterum mites & hæ vi-

dentur, quãquam ingens sit ægritudo. Causa eadẽ quæ in alijs ꝙ profunda est putrefactio & sordida, in qua acrimonia nõ planè percipitur, tum ꝙ obtunditur à multo humido quod euaporat, cuius signum est lenta esse seminaria & fomitẽ relinquere, tum ꝙ sensus hebetes per se sunt. ꝙ si nonnullæ ardentissimæ videntur ꝑ initia, hoc iccirco accidit quòd nondũ putrefactio profunda est, sed febres illæ in nobis primò incipiunt tales, quales aliæ quæ cõtagiosę nõ sunt. cholericæ autem vt plurimũ, mox profunda fit putrefactio & contagiosa ac lenior incipit febris videri. pulsus propter prædictã in alijs causam rariores & humiliores videntur, ꝙ natura nõ audet venas tollere, ne aditũ veneno aperiat. Quòd autem

tem

tem vrinæ ſimiles ſanis appareãt interdũ, admirationẽ non paruã præbet. quòd enim aut cõturbatæ aut & albidę videantur, nemo itidem miratur. Cauſam aliqui dicũt iccirco eſſe, quòd ſimiles ſanis videãtur, ꝙ corruptio & putrefactio circa ſpiritualia verſetur, quare nihil impedire ne & hepar & renes officijs proprijs fungantur. ꝓpter quod vrinę cõcoctiõe quadã nõ carẽt, ſed certè ſi febris eſt totius paſsio, mirum eſt ſpiritualia laborare, virtutes omnes exolui, hepar tamẽ & renes, quaſi ſana ſint mẽbra, concoctiones debitas facere. Fortaſſe igitur illud potius exiſtimandum eſt, ꝙ exiſtẽte vrina craſſa & plena, ſępe accidit vt deficiente iã virtute & nõ potẽte craſsiores illas partes expellere, ꝑcoletur quodãmõ

vrina, & vbi primū crassa admodum fuerat, incipiat iā crassa minus descendere, deinde & minus adhuc crassa, donec perueniat ad mediocrem quandā consistentiā, in qua nubeculę quędā pendeāt. propter quod sanis assimilatur, nō est autem verè sana, sed appa ret. quod sępe non solū in pestiferis febribus, sed & in alijs videtur, quum propè mors est, & virtus iam non potest crassas vrinæ partes expellere. quę res inexpertos quosdā medicos sępe fefellit, incipientes bene sperare ex ea vrinæ mutatione. fiunt autē abscessus magis quàm maculæ in hac febre, quoniam furens magis, ac turgens materia illius est. furiūt autem introrsum magis & circa principalia mēbra, hepar, cor & cerebrum. omnis autē furens hu

mor irritat plurimũ & cogit expelli. quare à partibus, quę introrsum sunt, motus fit præcipuè ad emunctoria principaliũ mẽbrorum. mouetur autẽ non solũ materia furens, sed & quæ illi cõiuncta est, propter quod abscessus maximè fiunt, & nõ maculæ. cõtingit tamen & illas quandoq; simul fieri, expulsa tenui materia quadam, circa cutem. præsertim vbi in sanguine infectio fit. ita igitur se habent, quæ contagiosę vocantur febres. nunc ad alios morbos pertranseamus, qui & ipsi contagione consistunt.

De phthisi contagiosa. Cap. 9.

Qui de phthisi hactenus tractauere, videntur quidẽ de ea egisse magis, quatenus primò in nobis fit, & originẽ habet, aut ex defluxionibus,

quæ ad pulmones feruntur, aut è
fracturis quarundã venarum, aut
sanie derelicta, vel è pleuretide,
vel peripneumonia & similibus.
de ea verò quæ ex contagione cõ
cipitur, nulla quidem aut quàm
paucissima tradidere. nos verò
eã quæ in nobis primò fit nõ ne-
gligentes, ac supponẽtes magis,
nunc maximè de ea agemus, quę
in contagione versatur, quod in-
stitutũ est nostrũ. cõstat enim &
cõtagione concipi, & propriam
quandã animaduersionem expo
scere demonstrabimus, nostri ta-
bem vocant, quod vocabulũ, si-
cut & apud græcos phthisis, in-
terdũ cõmunius est, pro cõsum-
ptiõe corpis quęcũq; sit, interdũ
ꝓpriè magis, quũ pulmonis vi-
tio ꝑ se cõtingit. quod rursus du-
pliciter solet euenire, quãdoque
qui-

quidē exvlcere in pulmone habito, vnde ſanies vera emanat, quandoq; nō ex vero vlcere, nec vera ſanie, ſed magis in ſaniē quandā cōuerſis pituitis, quę illuc deſcendêre. Verū & illā quoq; poſſumus phthiſim ſatis ꝓpriè appellare, quæ corruptis putrefactisq́; pituitis, ita pulmonē affecit, vt ſi nō vlceratus eſt, at flaccidus: tamen & putidus iā redditur. quippè factis diſſectionibus quorundā, vidimus interdū partē pulmonis ſincerā & nullatenus vitiatā, partē nōdū exactè putridā, nondūq; vlceratā, ſed tamen flaccidā mollēq́; atq; in marcorē tendētē quādoq; & totū pulmonē talem vidimus. quare quū iam marcor ille in pulmonem ſerpit, phthiſicum appellare meritò hominē poſſumus, quū verò ſimplici-

ter corrũpuntur pituitæ circa pul monem, nondũ autem affectus ipse est, tum non vocari phthisicus homo debet, sed aut dyspnoicus aut quid tale. quæ igitur sint phthisis illius causæ, quæ in nobis primò fit, satis esse notum medicis arbitror, quarum nullã necesse est, in ea præcedere, quę è cõtagione concipitur. potest enim esse vt quis nec distillationibus detentus sit, nec venam fractã gerat, neq; vllo vlcere circa pectus affectus fuerit, nec pleuretidem passus, nec demum vllo vitio tactus, sed optimè sanus existens, ex consuetudine tamen & conuictu cum phthisico, aut ex fomite, labem illam contraxit. nam mirum profecto est, quanta tenacitate, quãto tẽpore seruetur virus illud in fomite. ita vt vestes

quas

quas phthiſici geſtauere, ſępe viſæ ſint poſt bienniũ attuliſſe contagionem. quinimò tales etiamnum fiunt, & cameræ, & lectuli, & tabulata vbi phthiſici periêre. in fomite igitur illo non aliud putandum eſt relinqui, quàm ſeminaria contagionis ex ea putrefactione euaporãtia, quæ in phthiſi fit. quorũ mira quædã eſt analogia, quãdo ea nõ ad oculos, nõ ad palatum, nõ ad aliud membrũ cõtagioſa ſunt, quàm ad pulmonem. cauſam in vniuerſum ſuprà mõſtrauimus. neq; enim omnia in omnia agunt: ſed ſolũ quæ & agentis, & materiæ, & applicationis rationem certam habẽt, atq; ob id analoga dicuntur. ſigna autem iam tabefacti pulmonis ſæpe oculis patent, ſæpe enim fruſtula etiã ipſius per ſputũ reiecta

apparent. Tabescentis & flaccidi iam, non ita manifesta sunt signa, sed tamen quum prolongari morbum vides, sputa horribilia aspectu apparere, fetere, ac saniem repręsentare, quum & generoseæ fiunt, tum certo scire potes tabescere iam pulmonem, pręsertim si è contagione concepta fuerit phthisis. conceptæ autem per contagionem indicia habere poteris, si causas diligenter inuestigaueris. similes autem contagiosis & illæ sunt, quæ hæreditariæ à parentibus contrahuntur. mirum enim est quasdam familias vsque in quintam & sextā generationem omnes eadem tabis conditione perire, & quosdam eadem ætate.

De

De Rabie. Cap. 10.

NOn minorē admiratio-nē præbet rabies. de qua ſequitur vt agamus, ea per ſe teneri animal nullum prę-ter canes Galenus ſcribit, atque ita certè cōſpicitur. quæ verò ani malium rabidi canes momorde-rint, rabire omnia, præter homi-nem, Ariſtoteles tradit. quæ au-tem hac in cōtagione ſpectātur, hæc ferè ſunt. In primis conſtat non concipi eam cōtactu omni, non fomite, non ad diſtans, ſed tum ſolùm quum è morſu canis ita dilaceratur cutis vt ſanguis eliciatur, quaſi in ſanguine ipſo contagio fiat, per contactum dentis & ſpumæ animalis ra-bientis. Serpit præterea tam ſegniter & per moras, vt rariſsi-mè ante vigeſimā diem prodatur

infe

infectio, maiori ex parte post tri gesimã, multis nõ nisi post quatuor aut sex menses, quibusdam etiã post annũ, aliq & post quinquẽnium manifestari tradidere. vidi ipse puerum, qui octo post menses ex quo demorsus fuerat, cõtagionẽ ostendit, ex qua mox periit. Interea nec febris vlla sentitur, nec vllum aliud malũ, nesciente ęgro quanta pernicies lateat, quã mox tum ferè percipit, quũ ea ad cor pertingit. quò vbi peruenit incredibili cruciatu hominem affligit. Cor & præcordia vellicãtur, æger nec stare, nec quiescere potest. sed more furentis huc illuc agitur, manibus corpus dilacerat, sitit immensè. sed illud maximum incõmodum accedit, quòd & aquam & liquida omnia adeo reformidat æger, vt po-

potius emori eligat q̃ bibere, aut ad aquã deduci. tum verò & alios ipſi mordent, ſpumat os, oculi torui aſpectu ſunt, ac demũ fatigati vitã miſerabiliter eflant. ferunt & ſi quis ſub orbo arbore iacuerit, qui aliâs demorſus à cane rabido fuerit, rurſus in rabiẽ verti. de his igitur quærendum eſt, quibus è cauſis fiant, verũ nõ per eas rationes, quas demonſtrationes appellant. ſed ſi rationabiliter & ex cõmunibus locuti fuerimus, ſatis feciſſe exiſtimari debemus. Quoniam igitur fomite non concipitur hæc cõtagio, nec in cute fit per contactum ſimplicem, ſed dilaceratione cutis indiget, exiſtimãdũ eſt ſemina illius non admodum lenta eſſe, atq; ea craſsiora fortaſſe quàm in foraminibus condi poſsint. quare nõ

niſi

nisi sanguini agglutinari, spuma in qua seminaria latent illi commista. porrò & quoniã tardè serpit, par est putare analogiã eius esse vel ad solidas partes, quales sũt nerui & eiusmodi, vel ad crassum aliquẽ humorẽ, at constat solidorum nullum hac in labe corrumpi. quare ad crassos humores analogam esse contagionem. tales autem sunt phlegma & melãcholia. videtur autem ad melancholiã magis eam esse analogiã, quia videmus rabiosos demum etiam furentes fieri, quemadmodũ & melãcholicos. deinde quia & canis à quo primùm contagio oritur, valde melancholicum animal est & siccum. porrò phlegma in humano corpore multũ est comparatione melancholiæ, quod & aptissimum est, vt putrescat.

ſcat. quare ſi in ipſo foret contagio, hæc non tam diu lateret vt poſt annũ manifeſtaretur. at melãcholia, quoniam & paucior eſt, & frigida, & ſicca, & minus apta putreſcere, diutius ſeruare latentia ſeminaria poteſt. febrem autẽ non excitat hæc contagio niſi ad poſtremũ, quoniam ſenſim fit, & quod euaporat, nõ ſtatim ad cor fertur, ſed longè poſt, aut etiam expellitur. propagatur tñ p partem, poſt partẽ ad interna, ac demum ad præcordia, quò vbi peruenit, & febrem ſuſcitat, & ſeptũ tranſuerſum, & cor ipſum conuellit, ac poſtremò furorẽ & mortẽ affert, maximè autem tanguntur ea canes, quoniã vt diximus, maximè ſicci ſunt, & aduſti ſanguinis. primũ igitur ij more melancholicorũ triſtes fiũt, & ſoli-

tarij, mox paulatim incalescente sanguine, ad omnia indignabundi fiunt, cuncta incipiunt odisse, ac iam & præ iracundia mordēt, oculi rubent, os spumat ac tandē in furorem aguntur. animalium verò quæ momorderint omnia rabiunt & moriuntur, præter hominem, quod iccirco fit, quia alia animalia propter feritatē in qua cum cane conueniunt, concepta contage necessariò rabiunt, propter analogiam. hominis autem natura longè aliena est ab ea feritate & cōueniētia, propter quod nec analogiam promptam habet ad suscipiendum. vnde fit vt non omnes qui demorsi sint etiam rabiant, sed multi beneficio temperaturæ ex se, aut non contrahunt contagē aut superāt. atq; hoc ego illud esse existimo, quod Aristoteles

teles voluit, quanquam ſcio eſſe qui in eo textu vbi hac de re agitur non legēdum eſſe (præter hominē) ſed prius quàm homo, volunt, quaſi græca lectio non πλὴν ſed πρὴν audiri debeat, quod nullam habet neceſsitatem. Cur autem adeo reformidēt liquida, & canes ipſi, & qui à cane demorſi ſunt, vnde & hidrophoni appellātur, difficultatem habet, & abditiſsimam rationem. neq; enim illud credēdum eſt, quod multi dicunt, & Aetius etiam exiſtimare videtur, iccirco ita timeri aquā quòd ijs appareat ſeſe catulos quoſdā in aqua cernere, quandoquidem nonnulli eorū qui iā aquā cœperant formidare interrogati, num quid tale appareret, vt viderent, nihil tale videre reſponderunt.

Vtrum igitur quemadmodū &

in quibuſdam alijs morbis abo-
minatio quorundam fit, propter
indiſpoſitionē ſtomachi aut lin-
guæ, ita & in rabie detentis acci-
dat? an magis defectus & indiſpo
ſitio nō eſt in ſtomacho & ligua,
nā & ſitiūt, & quātū è lingua eſt,
humida etiā expetūt. ſed defect⁹
potius in phātaſia eſt, cuius ſignū
eſt, ꝙ nec videre volunt, nec tāge
re, quanquam vti potum, appetāt
humida. Fortaſſe igitur (vt dixi-
mus in ijs quę de ſympathia) phā
taſia quorundam memoriā exci-
tat, quæ pauorem ſolent incute-
re, quod & in rabie, poteſt contin
gere. quoniam enim & ſpuma cir
ca os eorum obuerſatur, & corde
præcipuè liqueſcunt, ex his phā-
taſia fit, quædam liquidi eos ex-
tinguentis, vnde formido fit, quo
tiens aut vident, aut tangunt, aut
&

.& audiunt offerri liquida ſibi. In ægris autem phantaſia fit horribilium ex paruis occaſionibus, vt ſæpe ex aſpectu paruarum figurarum in parietibus videmus ęgros & lupos, & canes ſubimaginari ac clamare & iubere, vt inde auferantur. An quemadmodum diximus in ſympathijs, quæ exſiccata ſunt, humida poſſunt appetere & trahere, quum forma ſecundũ naturã per ſe remanet, quanquã actu & per accidens aliter ſit. at verò quum ſiccitas eo vſq; proceſſit, vt iam forma naturam non ſeruet amplius, ſed iam ab ea ceciderit, tum ſicca illa non ſolùm non appetunt humida, ſed vti cõtraria abhorrent, & à ſe abdicant, quemadmodum accidit, & in ijs qui prope mortem ſunt. omnem enim & cibũ & potũ ita abhorrẽt,

quòd nihil molestius & horribilius ijs offertur, quàm cibus & potus, quoniam membra iam priuata natura sua sint. ita igitur in rabie facta exsiccatione tãta, quòd iam natura propria collapsa est. & quæ prius vti conuenientia & bona recipiebat, nunc vti contraria & horribilia recipit, non solũ potus liquidorum omnium, sed & phantasia abominationem parit. exsiccari autem rabie affectos manifestum est, quum etiã & in conuulsiones ex siccitate incidãt. Cur verò & qui sub orbo arbore iacent, rursus in rabiem vertãtur, si alias rabidi fuere, consimilẽ habet latentem causam si modo verum est, quod fama quadam circumfertur. nihil autem prohibet vapores, qui ex ea arbore continenter exhalãt, stiptici quidẽ, &

si lic

ſi licet dicere melancholici, ad hominē delatos, & intus calefactos idem facere poſſe, quod & ſeminaria rabiei, magis autem in eo, qui rurſus rabidus, propter derelictam diſpoſitionem. atq; hęc de rabie probabiliter dicta ſint.

De Syphilide morbo ſeu Gallico. Cap. II.

NVnc ad eas contagiones pertranſeamus, quæ extrinſeca magis tentant, incipientes à Syphilide morbo. quippe nouum & diu noſtro orbe incognitum morbum inter alia admiranda noſtra tēpeſtas vidit, qui Europam ferè omnem, Aſiæ verò atque Affricę partem non paruam occupauit. In Italiam verò ijs ferè temporibus erupit, quibus Galli ſub rege Carolo regnum Neapolitanum oc-

cupauere, annos circiter decem ante.1500.à quibus nomen Morbo inditum fuit, Gallicus appellatus. Galli verò nominis iniuriam in nos retorquentes morbũ Italum vocant, Hispani Paturſam, Germani, nunc Meuium, nunc Gallicum dicunt. nonnulli nouo imposito nomine pudendagram appellauere, ꝙ à pudendis inciperet, ſicuti & Mentagrã quòd à mento inciperet, nouum morbum apud antiquos appellatũ fuiſſe Plinius eſt author. Nos ſyphiliden in noſtris luſibus appellauimus. Hunc autem morbũ noſtro orbi adeo nouum, familiariſsimum tamẽ certis regionibus ferunt, qui per hiſpanas nauigationes nouum mundũ compercere, vbi vel plurimum abundet ea re, vbi vel plurimum abundet ea contagio, non ſecus illic domeſti

ca ac apud nos ſcabies . principiò igitur quũ is apud nos apparuiſſet, hæ ferè notæ conſpiciebãtur in eo morbo. oriebatur in quibuſdam ſine vlla ab alio concepta cõtagione. in quibuſdam (quæ maxima pars erat) è cõtage excipiebatur, verum non ex omni contactu, neq; promptè, ſed tum ſolũ, quum duo corpora contactu mutuo plurimũ incaluiſſent, quod pręcipuè in coitu eueniebat, quo maxima mortalium pars infecta fuit. viſi tamen infantes nonnulli fuere, qui è ſuctu lactis à matre aut nutrice infecta cõſimiliter affecti ſint. fomitẽ autẽ nõ relinquebat ea cõtagio, aut nõ niſi maxima quadã occaſione. neque ad diſtãs etiã ſeſe propagabat. ſed neq; ſtatĩ manifeſtabatur, verũ certo tpe delitęſcębat. interdũ quidẽ

per mensem, interdum per duos
sæpe & per quatuor menses. Interea tamen signa nonnulla aderant conceptæ labis, animum tristitia quædam detinebat. corpus, lassitudo, pallor, faciem. tandem quod in maiori parte inerat, vlcuscula quædam circa pudenda oriebantur, ijs non dissimilia quæ solent ex fatigatione contingere quam cariem vocant, sed natura longè impar, nam hæc & emori contumax erat, & victa vna parte alia regerminabat immortali propagine. post hęc crustosę quędam pustulæ per cutem erumpebant. in quibusdam quidem à caluaria incipientes (quod vt plurimum erat) in quibusdam in alijs locis, paruæ primum eæ apparebant, mox augebantur paulatim ad magnitudinẽ cooperculi grã-
dis

dis & ſimilitudinem etiam, ijs nõ abſimiles, quæ in pueris Achores vocantur. differentiæ earum multæ viſebantur, quibuſdam paruæ & ſicciores, quibuſdam maiores & pinguiores, nonnullis liuidæ, alijs exalbidæ leuiter pallentes, alijs duriores & ſubrubentes. omnes autem paucis poſt diebus aperiebãtur, ac mucore quodam mucilagineo fœtido manabant. nec dici poteſt quãtus ille mucor perpetuo effluebat, quanta ſordicies, exulceratę deinde exedebãt more eorum vlcerum, quæ phagedenica appellantur, atque interdum non ſolas carnes, ſed & oſſa etiam ipſa inficiebant. quibus autẽ circa ſuperiora vigebat malum, ijs diſtillationes prauæ contingebant. quæ modo palatum, modo gargareonem, modo fau-

ces, & tonsillas erodebant. labia quibusdam consumpta sunt, quibusdam nasus, quibusdam oculi, alijs pudenda tota. ad hæc autem magna ex parte gũmositates quę dam per mẽbra concrescebãt magna deformitate. nã sæpe oui, sæpe panis magnitudinẽ æquabãt, quibus apertis mucor suberat albus mucilagineus. tenax is callus maximè in brachijs & cruribus accidebat. qui interdũ vlcerabatur, interdũ integer vsq; ad mortem perseuerabat. Præter prædicta omnia, quasi parua illa forẽt, ingentes lacertorum dolores accedebant, sępe cum ipsis pustulis interdum ante, nonnunquã post, & ipsi quidẽ diuturni, quibus nihil crudelius erat. affligebant pręcipuè noctu. dolor autẽ non propriè in iuncturis inerat, sęd circa

lacertos ipſos & neruos. Verùm quibuſdã nihilominus ſine dolore vllo oriebãtur puſtulæ. quibuſdam ſine puſtulis dolores, maior pars vtriſq; affligebatur. Interea languebãt mẽbra omnia, macies corpus detinebat, nullum aderat deſideriũ cibi. nullus ſomnus, ſed mœror & iracundia aſſidua & amor decubitus, facies & crura turgebant. quãdoq; & febricula quędã concomitabatur, ſed raro. dolebat quibuſdam caput, dolor is erat diuturnus & nullis medicaminibus parẽs. ſãguis ſi hauriebatur inſyncerus mucoſusq́; ſpectabatur, vrina craſsior pĩguis diuulſa & ſubrubẽs, quo ſolo ſigno, cũ non adeſſet febris, multos ꝑnouimus eo teneri morbo, egeſtiones ægrè reddebãtur, & illę mucoſę ſiccę. His notis tenebãtur q tũ eo

mor

morbo laborabãt. Loquimur autẽ de his, quasi de præteritis, quoniã tametsi nunc quoq; ea contagio viget, post tamẽ illa prima tẽpora immutata videtur. ab inde enim annis ferè viginti cœperũt pauciores videri pustulæ, gũmositates verò plures, cùm è contrario primis annis fuisset. Factæ itẽ fuere pustulæ (si q̃ apparebãt) sicciores, ac dolores (si qui accedebant) cuius sũt acerbiores. porrò & annis labentibus, annis iã ferè sex, in quibus nũc sumus, magna rursus mutatio facta est eius morbi. quippe quum in valdè paucis pustulæ iam visantur, & dolores ferè nulli, aut multo leuiores, gũmositates verò multæ. & quod mirum omnibus visum est, capillorum & reliquorum pilorum casus homines ferè ridiculos facit,

alijs

alijs ſine barba, alijs ſine ſupercilijs, alijs glabro capite in conſpectum venientibus. quod infortunium prius putabatur ex medicaminibus euenire, præſertim ex argēto viuo. mox certiores facti omnes, ſciunt ex ipſo morbo immutato procedere, quinimo (& quod peius eſt) iam nunc multis videntur labefactari dentes, quibuſdam etiam cadere.

De Cauſis. Cap. 12.

IGitur quum primum tā nouus apparuiſſet morbus, magna ſtatim inter medicos oborta cōtrouerſia fuit. alijs cōtendentibus nullam ab antiquis factam de eo mentionē fuiſſe, alijs contrà fuiſſe factā, his quidem Elephantiam exiſtimātibus illis vocatum ab arabibus ſafati, alijs lichenas. primus Nicolaus

Leon

Leonicenus vir doctissimus, & grauis eam difficultatem sustulit, apertè monstrans nullum horum esse, sed prorsus apud antiquos innominatū fuisse morbū. quanquam posteriores quidam obstinatè quidē magis, quàm rationabiliter tanto viro non planè assensere, Elephantiasim omnino asserētes esse. de quo mox pauca quædam & nos dicemus. Cæterum quicunque hactenus de eo morbo scripsere, alij quidē quid non esset, magis dixisse videntur quàm quid esset. alij eam rationem quæsiuisse magis, quæ circa formam versatur, quòd esset ægritudo partim in compositione partim in complexione & vnitate, & id genus. materiam verò & principia quę magis fuerant perquirenda reliquere. alij materiā
qui

quidem attigere, principia verò & rationem eam, quæ è contagione dependet, non vt par erat, sunt prosecuti. Nos verò in ijs lusibus quos ad Petrum Bembum nunc cardinalem scripsimus, quo fortè tēpore à pestilētia rus pulsis multum otij nacti essemus, de his omnibus quędam certè attigimus: verum quantum Poetica concedere potuit. quæ quum non admittat omnia, multa quidem prętermitti à nobis necesse fuit pro toto negotio, quæ si nunc prosequamur operæprecium facturos esse nos existimamus. quod igitur ad primā morbi originem attinet, arbitrati sunt aliqui contagionē hāc è nouo illo mundo delatā ad nos fuisse, quē Hispanę nauigationes adinuenêre, vbi ea labes plurimū viget. cuius signū id

afferunt, ꝙ tum & morbus hic a-
pud nos primum apparuit, quū
& nauigatio illa facta fuit, & cō-
mercia habita illius gentis . pro-
pter quod & apud Hiſpanos vi-
ſus primùm fuit. quare totam la-
bem hanc cōſiſtere putant in cō-
tagione vnius ad alium. ſed pro-
fecto tametſi maxima mortaliū
pars è cōtagione morbū hunc cō
traxit, obſeruatum eſt tamen in-
numeros alios ſine vlla contagio
ne per ſe infectionem eã perpeſ-
ſos fuiſſe . Impoſsibile præterea
fuiſſet tam paruo tempore conta
gionem, quę per ſe ſegnis eſt, nec
concipitur facile, tantū terrarum
peragraſſe ab vna claſſe ad Hiſpa
nos primum delatã. quando con
ſtat aut eodē tēpore, aut ferè eo-
dē, & in Hiſpania, & Gallia, & Ita
lia, & Germania, & tota ferè Scy

thia viſam fuiſſe. adde ꝙ prædi-
xiſſe illā aſtronomos certis ante
annis nō paruū indiciū eſt, aliud
ſubeſſe illi principiū, quàm ſim-
plicem cōtagionē. primū igitur
illud mirum videri non debet no
uos atq; inſolitos morbos certis
temporibus apparere, non quidē
delatos ab vna regione ad aliam,
ſed ſuis cauſis exortos, ann. 1482.
pleuretidis genus quoddam eru-
pit, quod totā ferè Italiam affe-
cit. noſtris verò temporibus illæ
prius nō viſæ in Italia febres ap-
paruere, quas lenticulas vocant,
de qbus ſuprà egimus. vidimus
& annis ſuperioribus lippitudi-
nem contagioſam quaſdā ciuita-
tes inuaſiſſe. vidimus & peſtem
illā ſolis bobus cōmunē. de qua
ſupra meminimus. quam ob rē
nec mirum eſſe debet, ſi & galli-

cus morbus nõ prius cognitus in nostro orbe per multa secula, nũc primũ eruperit. venient & ægritudines aliæ nouæ insusitatęque, quũ tempus feret. sicuti & mentagra apud antiquos, quæ postea amplius nunquã visa est. hic idẽ morbus interibit & extinguetur, mox etiam & nepotibus nostris rursus videndus renascetur, quẽadmodum & præteritis ætatibus visum à maioribus nostris fuisse credẽdũ est. de quo nõ pauca indicia etiãnum sunt. Tonsor quidã amicus noster libellum habebat experimẽtorũ quorũdã antiquũ satis, inter q̃ vnũ, inter alia scriptum erat, cui titulus erat ad scabiẽ crassam, quę cũ doloribus iuncturarũ accidit. is ergo quum primũ recẽtissimus esset morbus, memor medicaminis, consuluit

me-

medicos quoſdã, nuni vti eo medicamẽto deberet in noua illa cõtagione, quam per ſcabiem craſſam ſignificari exiſtimabat. medici autem inſpecto medicamine acriter prohibuere, quòd ex argento viuo conſtaret & ſulphure. felix niſi medicos illos conſuluiſſet incredibili quęſtu diues futurus. paruit autem nec auſus eſt experiri medicamẽ. quod demũ expertus, atq; optimũ agnoſcens valde indoluit, quod ſero vſus eo fuiſſet, quæſtu iam per alios ſibi arrepto. ex quo videre profecto poſſumus alijs etiam ætatibus viſum eum morbum fuiſſe. Sunt qui putent, & Auicennam illum ſignificaſſe capite de olibano quũ dixit Tus valere dolori cõpoſito illitũ ex aceto & oleo, & eſt dolor inquit, cum quo pro

ueniunt in corpore sicut verrucę cum deambulatione sicut formicæ. sed certè hoc nihil est, quoniã Auicẽna illic trãsfert, quod Dioscorides scribit de Ture, quum dicit: Formicãtes verrucas inter initia impetiginesq́; ex aceto & pice illitũ tollit, per quæ Mirmecia intelligit. vt ergo ad propositũ reuertamur, inter nouos morbos & eos, qui raro in lucem veniũt, collocãdus est morbus gallicus. quare & causas illius ac principia oportet ex ijs esse, quæ raro & ipsa contingant. esse autem talia vt cõmunia sint non solùm multis mortalium, sed & regionibus multis. quod certè in nullam aliam causam referri potest, quã in aeris constitutionẽ. qualis autem ea fuerit, & ex quibus principijs exorta, nũc est inquirẽdum.

Quo-

Quoniã igitur analogię suę sunt in contagiosis, & principia oportet esse analoga (vt dictũ est) ad ea quæ affectum recipiunt, manifestum est, principia huius contagiõis ad phlegma crassum & sordidũ analogiã habuisse. si enim ad pustulas respiciamus, quæ eo in morbo apparuere, si ad gummositates, si ad lacertorum dolores, vbiq; qdē videbimus nõ nisi mucorem & sordiciem. & demũ phlegma lentum, mucilagineũ, crassum, quare & seminaria à quibus contagio per se omnis dependet, talia quoq; suo modo fuisse censendũ est. quocirca & aerem, vnde origo fuit morbi, dispositionẽ eiusmodi contraxisse. cuius seminaria lenta quoq; & phlegmati consimili analoga essent, & in eo aliorum rursus seminariorum

productiua taliũ, qualia & prima fuere. quoniã autẽ & erodit, atq; exest contagio hęc, oportet & seminaria illius acria esse, quãquã in lentore multo obsepta sepultaq́;. Talia igitur principia habuisse infectionem hanc putandum est, atq; in aere sordidã quãdam obrepsisse putrefactionem, quæ mox ad crassum & sordidũ phlegma in nobis habuisset analogiã. quo autem pacto, & quibus de causis in aere eiusmodi dispositio facta fuerit, difficilè quidem est certò scire. si quid tamen rationabiliter conijci potest, hoc certè erit. quæcũq; enim causa & principiũ id fecerit, oportet illud ex ijs esse, quę raro eueniũt. siquidem & dispositio illa in aere, quę raro visam contagem hanc peperit, ex ijs est quæ raro contingũt.
quo

quoniã igitur (vt ſupradiximus) quæ hic ſunt, maximè à ſuperioribus cœlo, ſcilicet & ſyderibus alterantur, & varijs afficiuntur modis, nihil aliud eſſe poſſe videtur, quòd in tot regiones per tantum ſpatij potuerit aerem tã male afficere, niſi cœli & ſyderũ cõſtitutiones, & eas quidem, quę & raro accidunt, & magna quũ accidunt, poſsint efficere. Supra autem mõſtratum eſt, tum magna & portẽtoſa poſſe huc ſydera inducere, quum plura eorũ in vnũ coeunt. ac talem certè coitum & conuentum ſyderum vidit tempeſtas noſtra, trium ſuperiorum Saturni, Iouis, & Martis. qui cõuentus & raro accidere ſolet, & quum accidit, magna ſemper apportare conſueuit. tum quòd ea Sydera potentiſsima ſunt,

tum q̄ vnio illa diu perdurat, ꝓpter motus tarditatem præsertim Saturni & Iouis. quā coniunctionē videntes Astrologi, nouas magnasq́; ægritudines portendi prædixere. Si quid igitur probabiliter dici potest de principio tantæ contagionis, ita certè existimandum est. Ergo facto eo syderum conuentu ingentē vaporum tractionem fuisse factā credendum est. q cōmisti aeri diuersimodeq́; agitati tandem sordidā putrefactionē intulerint, à qua seminaria illa in nos importata fuere, q̄ ad sordidos & mucosos humores, quale est phlegma crassum & mucosum, haberēt analogiā. vndē tandem contagio illa enata est, quò mox tot mortalium, tot regiones male affecit, partim quidē aere ipso principia & seminaria

ria

ria immittēte, partim de vno in aliū contagione pertrāſeunte. ac de origine morbi & principijs eius ita traditū ſit. ꝙ verò & materia eius ad quā ea principia habuerunt analogiam, ſit phlegma ſordidū & craſſum (vt diximus manifeſtiſsimū eſſe pōt) ſi enim puſtulas inſpiciamus, illę omnes pingues mucore incredibili manantes fuere. Si verò gummoſitates, & illæ cōcreto phlegmate cōſtabant, quòd ſi & ad dolores ipſos lacertorum, & illi quidē idē oſtendēt. erant enim diuturni extenſiui, noctu affligentes, factis item diſſectionibus lentor quidā per neruos & lacertos coextētus cernebatur. quare nemini dubiū eſſe debet materiā eius contagionis eſſe mucoſum phlegma & ſordidū. videntur autē puſtulæ ex

minus craſſa materia originē ha-
buiſſe, gūmoſitates ex craſsiſsi-
ma, dolores verò ex media qua-
dā. quippè ſerpēte cōtage p̄ maſ-
ſam ſanguinis & pabulū ſibi fa-
ciēte in phlegmate, pars q̄dē qu
minus craſſa, minusq; ſegnis era
extra pellebatur ad cutim, atq; i
lic ſenſim cōcreſcebat ī puſtulas
q̄ verò craſsior aliq̄to fuerat & m
nus apta vſq; ad cutim expelli, re
ſidebat circa neruos & lacertos
vbi coextenta dolores acerbiſsi-
mos excitabat. Craſsiſsima verc
circa partes q̄ſdā coagulabatur &
in gūmoſitates cōcreſcebat. non
erat aūt prōpta cōtages vt exci-
peretur, ꝓpter lētorē in quo ſe-
pulta erāt ſeminaria, ſed indige-
bat cōcalefactiōe quadā corporū
ſic quodāmō actu fiebant ſemi
naria, & alteri agglutinari pote-
rāt,

rāt, & ſeſe ex analogo ſibi pabu-
lo ꝓpagare, qđ nō calefacta face
re q̃dē nō poterāt, quaſi coagula-
to. ꝓpter eādē cām & diu latebat
contages intra corpus: anteq̃ ſeſe
manifeſtè oſtēderet, qm̃ ſegniter
ſerperet, ꝓpter frigiditatē & craſ
ſitiē materiæ. mox tñ exedebat &
ſolida etiā carpebat, ꝓpter acui-
tatē ſeminariorū in dēſa materia
quū actu fiebāt, & putrefactio ꝓ
cedebat. apparebāt aūt primū vl
cuſcula circa pudenda, qm̃ inde
prima origo cōtagionis initiū ca
piebat in maiori parte ex coitu.
erāt aūt & malè morigerata ea vl
cera, tū ꝙ locus ille ꝑ ſe ſatis puti
dus eſt, tū q̃a ſemiarijs hincinde
diſpſis iā fiebat vt parte vna ſane
ſcēte ꝓpter remedia, alia regermi
naret. at puſtulę vt plurimū à cal
uaria occipiebant partim q̃dē, q̃a
pars

pars illa propter sordiciẽ & crassitiem humoris, ex quo nutritur quodãmõ analoga est ad cõtagẽ. partim ꝙ eius euaporatio sursum fertur. in omni autẽ putrefactione euaporatio plurima fit. q̃bus aũt pustulæ aderãt multæ minus dolorũ accedebat, ꝙ materia multa excerneretur, ac simul signum id esset materiã esse subtiliorem. Cõtra verò quibus crassior erat, dolores quidẽ multi insurgebãt. ac pustulæ pauciores. materia verò quæ dolores dabat, nõ erat in iuncturis ipsis infixa, quòd crassior esset, q̃ penetrare in iuncturas posset, quare sup̱ neruis & lacertis maximè residebat. affligebat autẽ noctu magis & sole condẽte se, quoniã interdiu calor naturalis solet exteriora petere, ad quæ moueri solẽt mẽbra, demãda-

datus à natura ad vigiliæ opera exercẽda, nec non à lumine ſolis excitus, quã ob rẽ fouebat quodãmodo ea mẽbra & ventoſitates exoluebat, quę lacertos & neruos extendebãt & vellicabãt. ac ſimul & materiã cõcoquebat. noctu verò introrſum recurrere calor ſolet, & membra ea deſerere, ad quæ per diem demandatur à natura, quá de cauſa dolores tum excitabantur & diſtentiones maiores accreſcebãt, deſtituta materia à calore fouente & diſſoluente ventoſitates. Annis verò labẽtibus mutatio quædã eius morbi facta eſt. quoniam diſpoſitio prima quæ in aere fuerat, iam ceſſauerat. nec morbus aliam ſui propagationem habeat q̃ è contagione vnius ad alterũ, propter quod perſeuerabat. omnis autem conta-

tagio q̃to magis abeſt à principio & prima origine, tãto ſiccior fit & terreſtrior, propter aduſtionẽ, quæ continẽter coniungitur. qua de cauſa primi temporis cõtagiones, quaſi ortui & principio propinquæ, ſordidiores pinguioresq́; viſebãtur, & puſtularũ plurium, minorũ verò dolorũ. quæ verò annis poſt ſequentibus contigere, vtpote aduſtę & craſſę magis, pauciores quidem puſtulas, maiores autẽ dolores dedere. nã & à principio vbi plus erat puſtularũ, illic minus erat dolorũ, vbi minus puſtularũ plus dolorũ cernebatur. porrò & annis hiſce vltimis, quaſi in ſenio exiſtẽte contage & materia facta craſsiſsima, maior adhuc mutatio facta eſt, nã gũmoſitates multæ apparent, puſtulæ autẽ paucisſimæ, & illæ

ſic-

icciores, dolores autẽ ferè nulli,
ut longè minores. ꝙ materia ꝓ
pter craſsiciẽ facillimè cõcreſcat
n gummoſitates, extra autẽ nõ
aciliter ꝓpellatur ad cutim, vel
eſidebat circa lacertos. ꝙ ſi quid
amen ad cutim peruenit, id te-
nue quoddã phlegma eſt, quod
ſalſedinem quandã acquiſiuit ex
aduſtione, quare ad radices pilo-
rum latum pabulũ eorum abſu-
mit, vnde & ipſi mox cadunt, ſi-
cuti in porrigine, Alopecia, & a-
choribus ſiccis accidit. Fortaſſe
autem & idem fit in hoc morbo
nunc, quod & in Alphis accidit,
in quibus decidunt pili, materia
quadam alba mucilaginoſa coex
tenta ad radices eorum. nam vi-
dimus quoſdam quibus barba de
ciderat conſimilem quãdam ſub
cute coextẽtũ humorẽ habuiſſe.
quod

quod facillimè potest nũc eueni-
re in euaporatiõe & secretione q̃
fit ab ea materia iam penevitrea,
coagulatis vaporibus vbi ad pilo
rum radices peruenire. quocũq;
igitur modo id fiat, existimandũ
est senium iã huius morbi incœ-
pisse, nec longè post futurum, vt
ne per contagẽ quidẽ se propa-
get. quoniã materia in dies frigi-
dior fit, & terrestrior, in qua & se
minaria tum pauciora, tum & de
biliora in dies gignuntur. ꝓpter
quod nec iam facilè concipitur
nunc ea contagio, vti prius sole-
bat, quare & tandẽ fiet, vt nec se-
se possit propagare, sed desinat,
reuersura mox, quũ eadem prin
cipia, & eædem causæ reuerten-
tur. est autem certis regionibus
familiaris contages, vt in Hispa-
na vocata insula & vicinis alijs,
quo

quoniā (vt diximus) ea diſpoſitio quam ad nos tēporis longitudo attulit, illic connaturalis viget huic morbo gignendo. quemadmodū Elephātiæ, Aegyptus, Iudæaq́; familiaritatem quandā habent, quæ igitur principia & cauſæ fuerint nouæ huius contagionis, & quo conſiſtat, & quam habeat analogiam, & quæ ſint eius accidentia & notę, per hęc hactenus determinatum ſit.

De Elephantia. Cap. 13.

NOn eſſe autem Gallicū vocatum morbum eum qui Elephantia vel Elephantiaſis interdum & Elephasà gręcis appellatur, ſufficere quidē ad oſtendendum ea poſſent, quæ Leonicenus vir tantus ſcripſerat. Veruntamen ſi & nunc quoque pauca quædam eadem de re adij-

ciantur, non inutile fuerit (vt pro misimus). quando posteriorum quidam plus æquo obstinati scriptis mãdauere eundem esse morbum Elephantiam & morbũ Gallicum, atque eisdem etiam remedijs curari oportere. quod autem eos præcipuè decepit: id fuit, ꝙ videtes ipsi antiquos seorsum de Lepra scribere, & seorsum de Elephantia, tum existimantes per le prænomen ab ijs intelligi, illud quod vulgo lepram vocamus, ne sciuerunt quid nam esset Elephãtia, nisi morbus hic. qui mox Gallicus est appellatus. sed certè hæc monstrãt antiquorum scripta parum fuisse considerata ab ostinatioribus hisce hominibus. neque enim ita est vti ipsi putant, per lepram à græcis eũ morbum intelligi, qui vulgo lepra dicitur, sed

aliam quandam longè leuiorem diſpoſitionem, de qua ſimul cum pſora hoc eſt ſcabie agũt. quę via quædam eſt ad Elephantiam, quę propriè paſsio illa eſt, quam non ſolum vulgus, ſed & recentes medici tum Latini, tum Arabes leprã vocant. Paulus de lepra agẽs vna cum pſora, horũ inquit morborum vterq; ſummę cutis aſperitas eſt, cum pruritu & corporis attenuatione, ex melãcholico humore ortum habens. Galenus in libello de tumoribus. ſunt autem pſora & lepra melancholicę paſſiones ſolius cutis. quæ ſi in venis & carne inualeſcant, cancer nominatur & Elephas. item quoſdam dicit ex Elephantioſis factos fuiſſe leproſos, ægritudine in melius conuerſa. manifeſtum igitur eſſe poteſt leuiorẽ multo eſſe lepram

apud antiquos, quam Elephãtiẽ quòd autem & Elephãtia ea propriè sit, quæ vulgo lepra dicitur, ex his manifestum simul fiet. nã vt primum à nostris incipiamus, Plinius libro. 26. nouos quosdã ponit morbos Elephantiasim & Lychenas, quos sine dolore vllo, sine vitę periculo contigisse scribit. diximus, inquit, Elephantiasim ante Pompei Magni ætatem non accidisse in Italia, & ipsam à facie sæpius incipientem in nare prima veluti lenticula, mox inualescente per totum corpus maculosa. & varijs coloribus, & inęquali cute, alibi crassa, alibi tenui, dura ceu scabie aspera. ad postremũ verò augescente intumescẽtibus digitis in pedibus manibusq́; Aegypto peculiare hoc malum, & quum in reges incidisset, populis

fun

funebre. quippe in balneis solia sanguine temperabant, ad medicandum eam. quis non videt per hæc non Gallicum morbũ significari, qui dolores vel ingentes afferat, sed vocatam vulgo lepram, quæ sine dolore accidit, quæ à nare incipit, vt & Paulus, & Auicēna, & alij recentiores tradũt, quã Aegypto familiarem omnes dicunt, & ipse præsertim Galenus, quam demum vnam humano leniri sanguine consueuisse libri omnes pleni sunt. Arabes verò per Elephantiam non planè id intelligunt, quod grȩci & latini, sed tumorem quendam pedum ex humore melancholico, ceu è varicũ genere, quasi speciem eam lepræ intelligant, in qua pedes more Elephantum tument, per leprã autem id accipiũt, quod & vulgo le

pra dicitur à græcis Elephãtia. notæ autem Elephantiæ & accidentia hęc sunt, oritur primò sine dolore vllo, sine febre, ac delitet ipsa quoq; certo tempore, priusquam se prodat, mox prima vt plurimũ indicia dat à nare oborta parua veluti lenticula subnigra. cutis deinde varia fit colore, duritia, asperitate, attenuatione, quippe alibi liuida fit, alibi alba, alibi in altro ruffa, dura hic, illic lenior, alicubi aspera & squãmosa, alicubi crassa, & veluti coriũ igne induratum, pustulæ simul per totũ corpus enascuntur duræ, & vt plurimum purpurascẽtes, quæ tractu tẽporis exulcerantur, & pus emittunt, verum non multum ac siccius, quàm in syphilide circũ tumescunt vicina membra, & alia contrahuntur, alia extenduntur.

propter quod multis excauatur nasus, os vtrinq; contrahitur versus aures, oculi rotundantur, & similes satyris (qui pingũtur) fiũt. vnde & satyriasis etiã is morbus appellari cõsueuit. quanquã sunt qui satyriasim dictum putẽt, propter tentiginem nimiam veneris quæ eo in morbo contingit. Tument deinde digiti in pedibus ac manibus, ac pedes similes fiũt Elephantum pedibus. vnde quidam volunt esse Elephantiasim appellatũ. quanquã Archigenes à magnitudine morbi, ita vocatum dicat. Adhæc autẽ & venulæ, quæ sub lingua sunt, ceu varicosę fiũt pruritus adest, & cum eo tentigo veneris vehemens. fetent mox & tolerari iã non possunt, & multis alba per totũ fit cutis, quæ insana bilis habetur. Cõtagiosus porrò

est morbus non cōtactu solo, sed & fomite, & anhelitu etiam, quāquam tardè irrepat & sese propaget. in viros autem grassatur magis, quàm in mulieres. quin & eunuchi paucissimi visi sunt eo malo correpti. propter quod & nonnullos legimus sese castrauisse ne eo tentarentur. Nationum verò aliæ familiarem habent, vt Aegyptus & Iudæa, aliæ vix nouere. simpliciter autem extremæ calidæ & frigidæ regiones eam labē sentiunt magis quàm mediæ, vt Aetius authoritate Archigenis refert. propter quod Germani & Scythæ, & Aegyptij, & Arabes, maximè illi obnoxij sunt, quanquam Galenus contradicere videtur Archigeni, qui Germanos, & Scythas carere hoc morbo dicit. Itali verò & Græci minus. & certè

tè ſemper apud nos viſus raro ſuit is morbus, quãquã ꝑ ciuitates domus, quæ hoſpitalia vocantur, & ſupellectiles ſumptibus publicis paratæ ſtructęq; videãtur Elephãtiacis ſuſcipiendis. Verùm quos ego hactenus vidi, nemo quidem, aut pauci è ſuſceptis Elephãtiaci mihi viſi ſunt, ſed leproſi ſolum, aut impetigine quadam fera detenti. atq; hęc ferè ſigna ſunt, quę in Elephantia videri ſolẽt. ex quibus vnuſquiſq; videre poteſt, longè alium eſſe morbum, qui Gallicus appellatur, qui non in melãcholico humore ſedem habet, ſed in phlegmate ſordido, qui nõ fomite afficit, non anhelitu, in quo tẽtigo in Venerem omnis abeſt, dolores autẽ vel acerbiſsimi adſunt. quoniã autẽ & hic cõtagioſus eſt morbus, manifeſtũ eſt in-

clu

cludere ipsum seminaria contagionis, sicuti & alios. eorum verò analogia non ad mucosam & sordidã pituitã est, quẽadmodũ vocati Gallici, sed ad humorem melancholicum magis. quod pustulę ipsæ maxime monstrat, durę, siccæ, purpureæ. tum & cutis duricies, & inæqualitas quod & oẽs quoq; qui eo de morbo scripsere attestantur, vt dictum est. Elephãtiosos inquit Galenus eodẽ modo curabis, sicuti & cancrum. ex eadẽ enim materia sunt. in libello de Tumoribus passio est Elephas propriã habẽs generationẽ in melãcholico sanguine, tractu verò tẽporis nigra colera fit. ea de causa pustulæ sicciores sunt, vlcera verò minus mucosa, habent tamẽ sordiciẽ suã. quoniã putrefactio omnis ꝑ se sordida est. viros
aute

autẽ magis q̃ mulieres tangit hęc cõtagio, ꝙ melãcholici ſanguinis plus habẽt viri. ſed cur frigidæ regiones & Germani, & Scythę magis ea tenẽtur q̃ Itali & Græci, humidiores exiſtentes, cauſa eſt (vt mihi videtur) ꝙ ij ſanguine multo abundãt, & eo quidem pingui & vnctuoſo quare multa in eo exhalatio fit, quæ cùm ad cutim peruenit, ob denſitatem eius, & frigiditatem regionis, non euaporat tota, ſed ſolùm quod tenuius eſt, craſsius verò ſub cute coit, atque illic exuritur. quod facilè fit, propter vnctuoſitatem, vnde nõ tranſpirans putreſcit, & labem hanc gignit, cuius ſeminaria analogiam habent ad partes ſanguinis craſſiores & melãcholicas vnctuoſas. propter quod & porcorũ carnes maximè aptæ ſunt ad

Ele

Elephantias inducendas. ex ijs enim multus fit sanguis exuri idoneus. quod verò Galenus scribit non est, quòd regiones comparet nisi in victu. Cuius causa Aegyptus familiarem habet eam labē. Germani verò & Scythæ minus ex hac causa. Scythæ autem minime, propter lactis vsum. qui verò in calidis regionibus degunt, crassum quidē & ipsi sanguinem habent & densam cutem, sed alia de causa, quare & ipsis maximè exuritur sub cute sanguis, & putrescit. medijs autem in regionibus temperatior est sanguis & bene transpirabilis caro. Mulieres verò & Eunuchi qui mulieribus similes sunt, propter frigiditatem sanguinis & aquositatem, minus eo tenentur morbo. Dolores verò nō excitat Elephantia nec cō-

uul

uulſiones, vti in Gallico morbo ſpectantur, quoniam in ſicco magis conſiſtit, & materia ſi qua eſt, non reſidet circa neruos & lacertos, ſed circa ſumma conſiſtit magis, propter quod nec febrem facit. quærat autē fortaſſe quis, cur furorem non facit hęc paſſio, nec amentiam, cùm in melancholia exuſta conſiſtat. cauſam inde eſſe cenſendum eſt, quòd in furore & amentia exuſtio præcipuè circa cor & cerebrū verſatur, in Elephantia autem circa cutim magis, quòd ſi ſanguis fortè & introrſum vratur, nō ita tamen exuritur, vt furorem faciat, natura ſemper ad ſumma pellente quod vitiatur. tument autem membra quoniam materia multa ſub cute collecta caleſit non trāſpirans & coextenditur. porrò & nutrimētum

tum in ijs locis non planè conco-ctum, sed vitiosum in tumorem concrescit. pruritus verò fit, propter acrimoniam adustionis. propter pruritum autem tentigo circa genitalia, ad quod non parum facit natura melãcholię, quæ spirituosa maxime est. vt Aristoteles docet. à facie verò id malũ incipit, quoniam exhalatio omnis facillimè sursum fertur, præsertim ad faciem, ad quam venulæ multæ terminantur, quæ & spongiosa est, vnde & aliæ multæ infectiones faciem precipue tentant. vt Ionthi & id genus. tarda verò est ea cõtagio, quoniam in humore crasso cõsistit. cur autem fomitem ipsa relinquat, Gallicus autẽ morbus non, quum lentore maiori abundet, dubitationẽ habet. dicẽdũ seminaria in Gallico morbo,

bo, propter lentorem & frigiditatem ſtatim coagulari, & aut non agglutinari in fomite, aut ſi agglutinantur, non inficere alium, frigida & coagulata exiſtentia, niſi valde calefiãt. propter quod viſi quidam ſunt, qui è linteis, vbi dormierant gallico morbo ſordidiſsimè exulcerato affecti, conceperint infectionem. Cæterum fomitem non relinquit, vt plurimũ ea contages. quæ autẽ in Elephãtia ſunt ſeminaria, calidiora multo exiſtunt, vtpote in aduſtionè quadam cõſtituta. propter quod non coagulantur, lentorem autẽ habent tantum, quantus ſufficit, vt in fomite agglutinetur. fit porrò Elephantiaſis aliquando quidẽ per ſe in aliquibus, & primò in quibus melãcholicus eſt ſanguis & multus, & vnctuoſus, & cutis

den

dēsior, quãdoq; ab alio cõcipitur, in quibus nõ necesse est sanguinē esse per se malè affectum, sed malè afficitur à seminarijs contagionis, corrumpentibus crassam & siccam sanguinis partem, ad quã habent analogiam. atq; ita se habet Elephantiasis passio, quæ vulgo lepra dicitur.

De lepra propriè dicta & scabie. Cap. 14.


Epra verò ita ab antiquis vocata in duobus præcipue differt ab Elephãtia loco & materia. quippe profundius agitur Elephantia, quanquã & ipsa circa summa versatur. lepra verò in superficie magis est. materia porrò Elephantiæ crassior esse videtur, & exusta etiam num magis. propter quod profundatur magis. vtraque tamē ex

melancholico humore fit. nihil autē prohibet, & in vtraq; interdū cōiungi aliquid ſalſæ pituitę, vnde fit, vt nec Elephātia, nec lepra vno ſemp viſantur modo. ꝙ ſi diuturnior fiat lepra, & tractu tēporis malignior, tū in Elephātiam tranſit. ſunt autem in lepra ſuæ puſtulę atq; interdū crebræ, cęterū ſicciores, quàm in Elephātia & ſquāmantes magis, quàm exedentes. pruritus quoq; plurimum infeſtat, macies corpus tenet, & vt vno verbo dicatur, delicatior quędā Elephantiaſis lepra eſt. oritur autem vt plurimū primò in nobis vitio humorū & cōplexionis & regiminis. nihil autem prohibet & contagionē ab alio concipi. contrahitur autem & à natiuitate, ſicuti & Elephantia. pſora autem quā noſtri ſca-

 biem

biem vocant, leuior adhuc dispositio est, quàm lepra transiens & ipsa in lepram, sicuti lepra in Elephãtiã, quũ grauior vtraq; fit. videntur autem græci per psorę nomen tantum eã scabiei speciẽ significare, quæ siccior est, & melãcholiæ non nihil sapit, quare cõtractius psoram capiunt, quàm nos scabiem.

De distinctione infectionum cutanearum. Cap. 15.

QVoniam autem infectionũ, quæ cutim carpunt, multæ sũt species & multa nomina sed cõfusa satis, bene erit de ijs cursim pauca quædam notasse, vt cognoscamus quomodo inter se differãt, & quæ contagiosæ sint, & quæ non. Ergo si colera sit q̃ ad cutim propellitur, vel illic aliter clauditur, si quidẽ

nõ putrescat, tũ Erysipelas vocatum facit, pustulã scilicet vnã aut plures cum rubore, caloreq; multo, nonnunquã & cũ febre, interdum quidem in facie, facta interdum & in alijs partibus. grauior autem multo est, quæ faciem carpit. nam sępe è parua pustula accidit circunstantes partes, & faciem totam adeo inflammari, vt & oculi aperiri non posſint, & labia præ tumore deformia reddãtur, quod fit communicata acrimonia ad circumadiacentes partes. moderni guttam rubeam appellant. si ergo cholera imputrescens inflammata & accensa sit, Erysipelas hoc ferũ facit, si verò inflãmata nõ fuerit, alia Erysipelata edit, q̃ è pura si sint cholera, simpliciter dicũtur Erysipelata. si verò nõ è pura sint cholera, sed

cõmista, nõ simpliciter dicũtur, sed cũ adiectione cõmisti humoris vel abscessus ab humore appellati. si quidẽ enim sanguini sit admista, ἐρυσιπέλας φλεγμονῶδες vocatur, si pituitæ ἐρυσιπέλας οἰδηματῶδες, si melancholiæ ἐρυσιπέλας σκιρρῶδες prædominante semper cholera, verũ in hoc Scyrrho de si inflãmata & accensa sit cholera pustulã illã facit, quæ ἐπινυκτὶς vocatur, quòd sæpissimè noctu enascatur, Arabes essere appellãt. ita ergo se habet cholera, quæ nõ putrescit. quòd si putrescat iam & sub cute pustulas faciat, tũ vocatos ἕρπητας, hoc est, serpẽtes pustulas gignit. quippè stabile est Erysipelas, & vrit magis ac squãmas & crustulas inducit. serpit autem herpes vocatus modo, sede priori relicta ad alias

par-

partes transferẽtibus ſeſe puſtulis, modo & in priori loco manẽtibus, & vicina pabulãtibus. cuius ſerpiginis quũ rationẽ multũ cõſideraſſem, nõ in aliã certè cauſam reducere potui, q̃ in putrefactionẽ ſubtilem humoris. nam ꝙ nõ alia ſit differentia herpetis ab Eryſipelate, quàm ſubtilitas materiæ, durũ quidẽ videtur, quãdo & Herpes ille, qui ἐσθιώμενος dicitur, craſſæ ſatis materię eſt, cuius cauſa etiã exeſt, & ille etiam qui κεγχρία vocatur. quid præterea prohibeat ne cholera, quę Eryſipelas facit in latus exedat & pabuletur, ſi ſerpigo acuitatẽ ſequitur, qñ cholera illa acutiſsima eſt. quare veriſimilius videtur in putrefactione quadã conſiſtere, quę herpetes facit cholera, ſignũ cuius eſt, ꝙ ſordidiores videãtur

semper Herpetes q̃ Erysipelata. item & sicciorib' indigẽt ad curationem, quum Erysipelas indigeat humidioribus. porrò q̃ in putrefactione sunt, promptissimè in vicinum infectionem consimilem transferũt. præsertim quod cutem non exurente herpete in latus magis pabulantur. sępe igitur in parte prius infecta exhalat materia, quę putrefit infectione ad vicinũ cõmunicata, sępe vtraque pars pabulo quodã inficitur. Ergo si putrescat cholera, fit aũt in superficie, tũ simplex herpes fit, qui serpit tantũ, nõ aũt exest. at si profundior fuerit, nõ serpit solũ, sed etiã exest, vnde nõ simplex fit herpes, sed ἕρπης ἐσθιόμενος hoc est depascens vocatus, atque hic à crassiori cholera fit, ille à tenuiori. porrò si hic qui æsthio-

me-

menus dicitur, à cholera accensa & inflammata fiat, herpes ille fit, qui vulgo ignis syluaticus appel latur. si verò non accensa sit cholera, ęsthiomeni simplices fiunt. atq; hi quidē herpetes à cholera fiunt pura. q si non pura sit, sed mista tenui pituitę, putrescat autē, herpetē illū gignit, qui κεγχρίας hoc est miliaris appellatur, q pustulę similes sint granis milij. atque ita se habent Herpetes, quos Celsus per ignē sacrū intelligit. non enim vt quidam volunt, per ignem sacrum intelligitur ab eo Erysipelas. siquidem de igne sacro seorsum, & de Erysipelate agit. Si verò sanguis fuerit, qui in cutim influit, interdum qdem pustulosos abscessus facit, interdū maiores etiā, quā Erysipelas sit, quos phlegmonas vocāt. ru-

bent ij cũ calore & dolore ac febre etiã, vt plurimũ. ſicut aũt ſanguis quãdoq; purus eſt, quãdoq; miſtus, quod plurimum fit, ita & phlegmon alius ſimpliciter dicitur, alius cũ adiectione nominis admiſti humoris. ſi enim illi cholera admiſceatur phlegmon, fit Eryſipelatodes, ſi verò pituita, phlegmon dicitur ædematodes, ſi melancholia phlegmon ſcyrrhodes dominãte ſemper ſanguine. ſpecies autẽ phlegmonis ſunt δοθιὴν φῦμα φύγεθλον, Dotienem nos furunculũ vocamus abſceſſum in acutum tendentẽ cũ inflãmatione rubore & dolore, cui nõ nihil choleræ admiſtũ eſt. phyma verò furunculo ſimile pene eſt, ſed planius eſt, & rotundius, vulgus impropriè carbonẽ vocat, multũ differẽs ab eo ꝙ ꝓpriè

carbunculus dicitur. fit aũt phyma è ſanguine ſubaduſto craſsiore q̃ qui furũculũ facit. phigethlon verò eſt quod noſtri panē vocãt ob ſimilitudinē, alij & bubonē. q̄q̄ ſunt, q bubonē appellãt q in carnibus laxis fit. phigethlon verò q in neruoſioribus. fit autē hic vel è puro ſanguine vel miſto tenui pituitæ. ſi verò ſimul inflãmatus ſit ſanguis ac putreſcat, tũ bubones peſtilentes facit: quos Auicenna althoin vocat. quod ſi ſubtilis admodũ ſanguis ſit, influat autē in ſummã cutē, puſtuloſos abſceſſus facit. ſi igitur non inflãmatus qdē ſit, calefactus tñ vt quaſi ferueat, tũ exanthemata vocata facit quas Plinius eruptiones papularũ vocat, vulgus ſuffer ſuras à feruore vt arbitror dictas. puſtulæ ſunt, vix cutim excedē-

tes rubræ, confertæ inuicem, pueris præcipuè familiares quum supercalescunt. sunt autem duū generū, quædā sicciores & rubicundiores quas Auicenna plantā noctis appellat, quędā verò in rubore albicantes tenui pituita cōmista sanguini, quę Græci ἵδρωα vocant, nostri sudamina, Auicenna desudationes. quòd si crassior aliquātisper sit sanguis, ac simul putrescat, nō autē inflāmatus, tum si tenui cholerę cōmistus sit, vocatas morbillos facit, si tenui pituitæ variolas, quæ duo, ἐξανθήματα etiamnum à Græcis vocantur. At si pituita fuerit, quæ in cute tumores facit, si quidē humidū suū seruat, nec à calore fuit exsiccata, nec à frigore cōcreta, tum molles facit tumores, q̃ οἰδήματα vocantur. q̄dā tumores simpliciter

ter transferũt, ſimplici nimis (vt mihi videtur) vocabulo, Arabes vndimiã vocant. quòd ſi pituita, aut à calore, aut à frigore indurata fuit, vocatos Scyrrhos facit. è quibus ſunt ſtrumæ, quas χοιράδας Græci vocant, & nodi quos γαγγλία, & id genus glandulæ & gũmoſitates reliquæ. tum & verrucæ quæ porra vulgo appellamus, quæ ſi baſi latiore ſint μυρμηκίαι, vocãtur, quaſi formicantes, quòd punctiones in ijs fiãt, quaſi formicarum. Si verò ſint baſi tenuiore, ac veluti ſuſpẽſæ ἀκροχορδῶνες nuncupantur. Auicenna verò Myrmecia confundit cũ herpete, & in herpete curam ponit, quam Galenus Myrmecijs tradit, errore periculoſo, niſi capitulis diuerſis addita ſint, vni q̃ alterius ſunt. Sunt pręterea ex

hoc

hoc genere callositates quædam, quarum alij proprie calli à nobis dicuntur à Græcis τύλοι, tum & vocati claui ἧλοι à Græcis dicti. è pituita quoq; & aliæ pustulę fiunt, quales ἴονθοι, qui à Latinis varri, vulgo cossi vocãtur, q̃ præsertim oriuntur in facie. sunt & φλυκταῖναι, quas Auicenna nomine vessicarum cõprehẽdit, bullæ sunt nõ dissimiles ijs, quas excitat aqua feruẽs, q̃bus tenuis subest pituita. proxima ijs sunt ψυδράκια vocata phlyctænis paulò duriora, quibus cũ pituita tenuis subest melãcholia. phlyctænæ verò è simpliciori sunt pituita paululũ inflãmata, vñ & in bullã surgit. porrò è pituita salsa fiũt vocatæ à vulgo volaticæ, Celsus papulas vocat, Græci λειχῆνας. quãquã sunt, qui Lychenas transferant im

impetiginē, quod non rectè fieri arbitror. quòd autē quas nos volaticas dicimus, Celſo papulæ ſint, manifeſtū eſt, ſi materiam, ſi modū ſerpendi, qui ab ipſo traditur, reſpiciamus. ſunt autē duorū generū. alterū, quod fit è tenui pituita & ſalſa per ſummā cutē ſerpēte in orbē, quod paſsim nomine volaticę monſtratur. alterū cui parū melāncholiæ adiungitur, & profundius aliquāto ſerpit. & nō præciſe in orbē, quod ſæpe in impetiginē vertitur, nec me latet Lychenis nomē à græcis interdū latius capi pro fœdiori cutis habitu, vnde & poeta ſordidos appellat Lychenas, & Plinius ipſe etiā nouū morbū Pompeij ætate viſum Lychenas vocauit, ſicuti & mentagrā. quæ omnia ex ſalſa pituita fiunt putreſcente, cui quid-

dam

dam melancholiæ permiſtum eſt, propter quod ſordida putrefactio fit. Gignitur præterea & ſcabies è ſalſa pituita, cui nomen commune non propriè inuenio apud Græcos, quando ψώρα, aut illam ſignificat apud ipſos, quæ apud nos impetigo dicitur melancholica paſsio & via ad lepram: aut ſi ſcabiem notat, illã certè ſpeciem tantũ importat, quæ ſicca dicitur ſcabies. quare de ſcabie vidẽtur, aut non egiſſe græci cõmuni nomine, aut de ea nõ egiſſe, niſi fortè ſub pruritus capite cõprehẽderint. Sunt autẽ & aliæ quædã è pituita paſſiones ἀχὼρ & ἀλωπεκία & σίφηλις. Achores autẽ nos vulgo appellamus Latume, Plinius vlcera capitis manãtia transfert, Arabes Saphati appellant, cruſtoſæ

ſunt

ſunt, & ſordidæ infectiones in capite puerorum præſertim natæ, de quibus nec multa nunc dicenda ſunt.

Si verò humor qui in cute tumorem facit melancholicus ſit, ſi quidem nec inflammatus fuerit, nec putreſcat, Scyrrhos melancholicos facit, alios quidem maiores, alios minores & puſtuloſos solùm. ſi autem inflammatus ſit & accenſus, non autem putreſcat, cancer vocatum facit. ſi verò putreſcat quidem, non autem inflammatus ſit, tum pſoram & lepram gignit & Elephãtiam nondum feram, at ſi inflammatus ſimul ſit, & putreſcat, Elephãtiam feram facit, quum iam horribiles aſpectu ſunt, ſimiliter & carbunculum quem Antracem vocant, generat. Impetigi-

tiginem porrò à nobis vocatam non aliã esse apud græcos videtur mihi, quàm psorã & lepram, quæ secundũ magis & minus illas quatuor species facit, quæ à Celso traduntur. ex quibus patet impetiginẽ nõ esse Lychenas, vt multi vertunt, sed eã magis quã suprà vocauimus volaticam Lychenas esse. hæc enim à phlegmate salso, Impetigo autẽ è melancholico humore magis fit. ac de cutis infectionibus, ita per transcursum determinatũ à nobis sit. è quibus cõtagiosę sunt bubo pestilens, & exanthemata illæ quas fersas & variolas vocamus & strumæ quædã vlceratę & Lychenes nõnulli & scabies & Elephantia, & achores, & Alopecia, & Syphilis, & mẽtagra, & si quę alię sunt, in qbus putrefactio sordida fiat.

DE CVRATIONE LIber Tertius.

Quòd peculiaris curatio debeatur contagiosis morbis. Cap. I.



Actenus ergo de cõtagione quidem esset, & quibus principijs & causis fieret, & quæ essẽt differẽtiæ eius omnes in vniuersum quidẽ libro primo percurrimus, mox de contagiosis morbis aut omnibus, aut maximè notis qui essent, & quibus è causis penderent, & quo modo inter se differrent libro secundo disseruimus. superest iam vt de curatione omnium contagionum agamus, methodo primum (vt par est) generali & communi, mox & propria cuique morbo. de quo quidem in primis ambigat fortasse

aliquis, vtrum aliquam peculiarem & propriam curationem habeant contagiosi morbi ab alijs, & an tradita sit à maioribus nostris. mirum enim videri potest, si aliqua in his erat peculiaris methodus, prętermissam ab illis fuisse. At certè si rectè tradita sunt, quæ suprà determinata fuere de contagione, propria quædam & determinata curatio debetur contagiosis morbis, quatenus contagiosi sunt. quando diximus eos, & principio lōgè differre ab alijs & modo materiæ & putrefactionis, ac postremo & accidentibus ipsis. quibus omnib⁹ sua animaduersio & sua curatio debetur. nā si quispiam rectè se habens tū circa humores proprios, tum & circa complexionem & alia, phthisim tamen ab alio per contagionem

nem concipiat, plurimum profe-
cto refert, ſi per initia aduoceris,
& ſeminaria eius contagionis per
ea extinguas, quæ dicemus: ijs e-
nim interemptis, nihil præterea
procedet morbus. ſimiliter & in
rabie ſe habet, & in Syphilide &
ſcabie, & alijs. quinimo & in pro
ceſſu quoque ſi ad communia re
media te conuertas catharrum
in phthiſi expurges, materiam
concoquas. nihil tamen opera-
bere, niſi perpetuò ad ſeminaria
animum & curationem aduertas.
porrò & in febribus, quæ peſti-
lentes dicuntur, cur non ijs reme
dijs vtimur, quibus in alijs ſole-
mus? cur protinus omnes clamãt
putrefactioni reſiſtendum eſſe?
nec quidem obſtructiones aperiẽ
do, non plenitudinẽ euacuando,
ſed propria quędã inquirẽdo, quę

obſiſtant putrefactioni. quippe certus in his eſt putredinis modus, qui propriam animaduerſionem poſcit. Videntur igitur maiores noſtri curationes quarundã contagionum tradidiſſe, quantũ ad quędam remedia: verũ omnia illa non ad contagionem, quatenus contagio eſt, deſtinata fuiſſe, ſed aut fortuna quadam inuenta, aut ex ſimilitudine ad alia, vt venena & ſimilia. quæ res certior fit per ea, quæ circa vnumquenque morbum dicentur. quod iam aggrediamur, ab vniuerſali methodo & forma initium capientes. Quoniam autem duplex eſt medendi ratio, altera quę pręſeruat, altera quæ liberat, nos breuitatis gratia, de ea quæ liberat, inquiſitionem faciemus, illud policentes, ꝙ hac rectè perſpecta vnuſ-

quiſque viam habere poterit quã facil!imam, ad eam quoque quæ prȩſeruat. qui igitur contagiones curare volet, ad hæc aduertat neceſſe eſt. primum videat, quȩnam contagio eſt, vtrum earum, quæ extrinſecus veniunt. & an ab aere an ab alio ſit concepta, an earum ſit, quæ in nobis primò fiunt, & vtrum contactu ſolo afficiat, an & fomite, vel & ad diſtans feratur. tum perpendat qualis ſit, nũ acuta, an ſegnis, & quo in humore ſedem habeat & analogiã, nec non & quantum proceſsit, ſi in principio eſt, an plurimũ eſt progreſſa, & quibus in locis præcipuè ſit, intra ne tota, an extra tota, an vbiq;, & an ſolida occuparit, an per ſumma tantum erret, & vtrum velociter & largè ſerpat, an tardè & anguſtè, & vt ſum

matim dicamus, differentiæ omnes contagionum ante oculos habendæ ſunt.

De intentione quę habetur ad principia. Cap. 2.

HIs animaduerſis tria principaliter eſſe ſcito, ad quę intentio omnis dirigenda eſt. primum quidem principia, à quibus initium & originem putrefactio habet. ſecundum eſt materia, quæ in via eſt, vt inficiatur, & iam cœpit. tertium materia, quæ iã corrupta eſt, nec amplius reſtitui poteſt. ac principia quidem quandoque, vt diximus, cõmunia ſunt cum alijs morbis, qui in putrefactione conſiſtunt, quãdoque propria contagioſis. communia quidem ſunt plenitudo, obſtructio, malitia humorum, & ali

alia id genus . propria verò sunt seminaria ipsa contagionum. nihil enim prohibet aliquo plane sana existente, & mensurate in humoribus & alijs se habente, contagionem tamen ex alio ipsum cõtrahere. ergo si communia adsint principia nihil aliud nobis dicendum agendum ve sit, nisi quæ medici iubent agenda, quum plenitudines, obstructiones, & alia eiusmodi adsunt. vbi verò ea adsunt, quę propria sunt contagionibus principia, tum magna cura & diligentia opus est. protinus enim si seminaria ipsa, aut enecare, aut educere possis, aut frangere, morbus præterea non vltra protenditur. quare maximè initia perpende si potes ijs adesse. ꝙ si non possis, scito tamen per totũ morbi processũ continẽter cu

ram ad ſeminaria adhibendam eſ ſe. ad quæ multiplex ingenium eſt, & nunc vno modo ad illa, nũc alio agendum. poſſunt autem illa, aut extingui, & vt dicitur enecari, aut educi, aut frangi & alterari, aut repelli. his autem vti non ſemper omnibus datur, nec conuenit: ſed modo vno, modo alio, modo pluribus agere licet, vt & res, & occaſio, & reliqua poſcũt. Ergo extingunt & interimunt, & quæ calidiſsima ſunt, & quæ frigidiſſima, maximè autem quæ vrentia dicuntur, aut vicina vrentibus, ſiue per ignem facere velis, ſiue per ea, quæ cauſtica vocantur. extinguntur quidem ab ijs ſeminaria, ita vt ijs interemptis, & totus ſimul interimatur, qui imminet morbus. nihil enim remanet, quod præterea ſobolem

gig

gignat. nam ignis quidem vis, tametſi locum exurit, vltra tamen non aliud nocumẽtum relinquit quod vel ad priorem labem attineat, vel apportet nouam peiorem. quare vbi auxilium hoc adhiberi poteſt & debet, nullum præſentius eſt. porrò extingunt & frigidiſsima, vt frigidæ potus, de quo ſuo loco dicemus, & ablutiones etiam, quod maximè valet ad ea ſeminaria, quæ in fomitibus continentur.

Sequẽs ad ea ingenium eſt euacuatio. quod certè difficulter admodum fieri poteſt, quoniã hinc inde diſperſa ſint ſeminaria hæc, & per ſe educi non ſatis commodè poſſunt. nihil tamen prohibet cum humoribus quibus agglutinata ſunt, ſimul & ipſa quoq; educi. Verũ non niſi vi multa fit. mo

di autem euacuãdi præcipui ſunt pharmaca quę aluum mouent, & quæ ſudorem cient & vrinam, & alia de quibus circa particularia rurſus dicemus: vt cucurbitulæ & phlebothomia, & reliqua.

Quæ verò frangunt & alterant ſeminaria, ea ſunt, quæ antipathiam habent materialem, hoc eſt per qualitates notas contraria ſunt. quoniam enim diximus ſeminaria hæc acrimoniam quãdam habere, tum & in lentore quodam conſiſtere, acrimoniam quidem frigidis frangemus, lentorem verò ſiccis potentia. exſiccant autem alia per qualitatem ipſam, quæ eſt ſiccitas, quæ quidẽ paruæ actionis in tota natura eſt, alia per caliditatem, alia imbibitione, vt pulueres & farinæ, & id genus, alia modis omnibus vt ſal

quorum omnium interdum qui dem vnum, interdum aliud magis conueniens eſt. quare & abũdare oportet, vt eligere poſſimus quę magis conducunt. Repellunt autem quæ propriè ſpiritualem antipathiam habent aduerſus ſeminaria. diximus enim in natura diſſenſum hunc rerum eſſe, vt ſe ſe mutuo nonnulla pellant, quare ſicut & venena & ſeminaria contagionum, antipathiam habent ad animam & naturalem colorem, ita & quædam alia ſunt, quæ vti antidota quædam antipathiam quoque & ad venena & ad ſeminaria ipſa habent, & ea repellunt, fortaſſe autem & eadem obtundunt alio modo. nam quoniam ſpecies tum veneni, tum cõtagionis ad animam vti inamabilis & ingrata fertur, & triſtitiã ingeri

geri

gerit, ita ſpecies eorum, quæ anti
dota ſunt, vti grata & læta recipi
tur. qua è cauſa obtūditur paſsio
prior à veneno & contage illata,
& vigoratur anima, quod in feto-
re omni fieri manifeſtum eſt, vbi
ꝑ odorata recreari nos ſentimus.
quòd igitur in contagionibus an
tipathia hęc verſetur: quę recreet
per odorē, manifeſtum eſt: vtrū
autem & illa quoque adſit, quæ
repellat, & ſi non ita manifeſtum
eſt, rationabile eſt tamen, & in ve
nenis manifeſtiſsimum. conſtat
enim aſſumptis quibuſdam anti-
dotis vim omnem veneni ſubito
tolli, quod non alia facultate fie-
ri poſſe videtur, quàm per ſpiri-
tualem ſpeciem, quæ præcipue re
pellat venenum. tametſi per ma-
teriales etiam qualitates opere-
tur antidotum. Conſtat quoq; ru
ſtic

ſticos quoſdam, quum fortè ſeca
rent herbas, demorſos fuiſſe à vi
pera ac repente inflatos, appoſita
autem Tormentilla vocata her-
ba ſupra locum, ſtatim liberatos
fuiſſe. Nos quoq; mirum quiddã
vidimus in bolo armenio. villi-
cus enim quidam noſter, quum à
me forte proficiſceretur in forũ,
inter eũdum ſenſit ſe in collo pin
gi, neſciens qua è re contigiſſet.
ſtatim autẽ facto tumore ingenti
& ſtrangulatione quadã ad me re
uerſus, nec quicquam loquẽs, ſed
ſolùm digito locum cõmonſtrãs
proſtrauit ſeſe ſuper capſa, mu-
giens quaſi moriturus. ego beſtiã
aliquã venenoſam ratus, qui neq;
carbũculi ſigna vlla vidiſſem, nec
alterius eorũ, quæ oriri in nobis
ſolent, bolum armenium propi-
naui cum aceto, vt fortè excellẽs
apud

apud me erat bolus, quo aſſumpto confeſtim & quodam quaſi miraculo detumuit locus, ac ſurgens ille & loquens, hoc me inquit à morte liberauit, putare autem ſe araneum pupugiſſe, qui decidiſſet in collum. hæc ergo & ſimilia à maiori quadã vi euenire quàm à notis qualitatibus cenſendum eſt, quod & circa malignas & venenis ſimiles contagiones cõtingere par eſt exiſtimare, in quibus ſuæ quoq; antipathiæ ſint, vt de eodem bolo armenio traditur, per quem in magna illa peſtilentia, quæ adeo Athenas vexauit, tot prȩſeruatos legimus. Scordiũ quoq; cognitum ferunt tam mirè præſeruare à putrefactione, cùm cadauera, quȩ ſuper ipſa iacuerãt inuenta fuiſſent incorrupta. quãtum porrò & balſamum, & myr-

rha, & aloe, & cedrus, & id genus à putrefactione couferuent, notiſſimum eſt in cadaueribus regũ. quare & circa contagiones eiuſmodi eſſe antipathiam nemo infi ciari debet. quæ autẽ illa ſint, quibus data ſit tanta facultas, ſtatim dicemus. vtrum autẽ antipathia hæc ſit in ea qualitate, in qua & odor verſatur, an alia, incertũ eſt homini. atq; hæc quidem remedia ſunt, quibus vti aduerſus ſeminaria poſſumus.

De intentione ad materiam, quæ iam inſici cœpit. Cap. 3.



D eam verò materiã quę nondum corrupta eſt, in periculo autem iam agitur, vna quidem generalis intentio eſt prohibere tum cauſas putrefactionis, tum iam inducti affectus principium, quod & alijs

etiam

etiam morbis, qui in putrefactio
ne consistunt, commune est. mo-
dus autem non est communis, si-
cuti, nec causæ, nec ratio putrefa-
ctionis communis est his & alijs
morbis. quippe in alijs præcipuę
causæ sunt plenitudo, obstructio
& humorum malitia, in his autẽ
nulla horũ necessaria per se sunt,
sed quodam modo accidunt, aut
concausæ solùm sunt, non autem
per se principia. Igitur si hæ con-
causæ contagionibus coniunctæ
sunt, negligẽdæ quidem nõ sunt,
sed prout conuenit, tractandę, &
tollendæ. quæ autem propria, &
per se consideratio & intentio ad
materiam periclitantem vertitur,
illa est, vt omni ingenio obsistas
putrefactioni quæ inducitur, ac
quomodo seminarijs, à quibus
pendet, te opponas dictũ est, quid
aut

autem circa materiã ipſam agas, nunc dicendũ. Quoniam autem in putrefactione omni diſſolutio quædam miſtionis fit, euaporante innato calido & humido, euaporãt autem hæc remollitis ab humiditate partibus, & ſublatis ab extranea caliditate, manifeſtum eſt ꝙ ad hæc obſiſtere neceſſe eſt, primum quidem remittendo eam, quæ inducitur extranea caliditas . deinde exſiccãdo, quę remollit partes, humiditatẽ, ac demũ ꝓhibendo diſſolutionẽ miſtionis. prohibent autem præcipuè reſinoſa, non ſolùm quòd exſiccent, ſed quòd conſtare materiam faciunt glutino ipſo. prohibent autem & intermiſti pulueres quidã imputreſcibiles ipſi exiſtentes: ſubtiliſsimè igitur diuiſi & interiecti inter partes ma-

teriæ partim alterantis actionem impediũt interpositi ipsi, partim materiã cõtinent ne dissoluatur nexu quodam. Simili modo quo arena immista calci, tenacẽ nexũ opatur, & aquæ farina. penetrãt enim humida minima in tenuissimos vocatos poros siccorum, vnde separari non possunt propter vacuum, nullo existẽte alio, quod subingrediatur, quod maximè ad fortitudinem mistionis valet. non negligenda autem est, nec parui facienda minimorum intermistorum actio. quis putaret in multo lacte ĩterposito pauco coagulo, aut tenui puluere plumæ floris cynaræ coagulari lac totum? quis crederet in magno aheno ebuliente saccaro, ac præ feruore iam erumpente, sisti tamen & constare ac deponere

eru

eruptionē & tumorem omnem
impoſito paucíſsimo butyro? ꝙ
verò attinet ad putrefactionem,
nonne videmus conſeruari vina
in magnis dolijs intermiſto pau-
co alumine, quæ alioqui citiſsi-
mè putreſcant? quare nec mirum
eſſe debet, ſi & eas quę in nobis
fiunt putrefactiones, per interpo
ſitos pulueres quoſdā prohibea-
mus. atque hæc quidem ad mate
riam, quæ iam periclitatur, ido-
nea remedia ſunt.

Ad eam verò materiam, quæ
iam corrupta eſt, & reſtitui non
poteſt, vna intentio eſt remouen
di eam è corpore, quod aut phar
macijs fit, quum ſcilicet materia
introrſum eſt, aut inciſionibus,
vel diſſolutiuis, quum eſt ex-
trorſum. habet autem & hæc di-
geſtiones ſuas à medico præpa-

randas. nos eas quidẽ quæ ad benignum restituunt, sed eas, quæ euacuationem faciliorẽ reddunt. de q̃bus omnibus in particularibus morbis distinctius agemus. nunc enim generales magis percurrimus. quoniam autem remedijs abundare oportet in cõtagionibus, & modo vno, mõ alio vti necesse est, bene erit plura enumerare eorum, quæ in contagionibus valẽt, vt eligere possimus, quæ idonea magis sint. Vrentia ergo sunt, viride æris, auripigmentum, calcitis, calcanthum, & quod sublimatum vocatur, & quod præcipitatum, & vocata ruptoria, & id genus. vicina verò vrentibus, sunt sal, gemma, nitrũ & sal & aceti fex vsta, & alumen, & cinis ficus, & stercus columbinum, & vatrachium, & clematis, &

& thapſia, & euphorbium & pyretrum & calx, & hermodactyli, & vnguentum ægyptiacum, & trochiſci, Andronis, & Diacalcitis & eiuſmodi. Reſinæ verò, quę & abſtergunt, & exſiccant, & materiã conſtantem faciunt, ſunt, Terebinthina, Laricina, Abietina, cędria, Thus, maſtix, galbanũ, myrrha, ſtyrax vtraq; gũmi, laſer, & reliquæ. Quæ verò tũ in pulueres redigi poſſunt, tum decoqui, calida quidẽ & ſicca ſunt, aſpalathus, cupreſſus, iuniperus, cedrus, xilobalſamum, citrus, cedrus, agnus caſtus, Guaiacum, agalochum, ſcordiũ, chamædrys, dictamũ tum noſtrum, tum creticum, pentaphyllon heptaphyllon, & phu, & verbena, & Thlaſpi, & vocata ſcabioſa, & cardo benedictus, quem Theo-

phraſtus alteram ſpeciem Cnici agreſtis facit, tum & Gentiana, & ariſtolochia, & Smyrnium.

Item aromatica caſia, cinnamomum, calamus aromaticus, Iuncus odoratus, Macer, nux muſcata, Zedoaria, doronicum, galanga, iris. frigida verò & ſicca ſunt margaritæ, coralli, ſuccinum, ſaphiri, hiacynthi, & in magno prętio habitus ſmaragdus, tum terra lemnia, & bolus armenius, & ſamia, & ſandali, & vocata biſtorta, fortè bulapathon, & lapathi genera omnia præcipuè oxalis, & Trifolium omne, maximè quod odoratum dicitur, & conſimilis herba, quæ vulgo gallica appellatur fortè onobrychis, nec non & cicorium, & cicerbita, & nymphæa, & tamarindi, & cornu cerui, & os cordis eius, & cornu mo

nocerotis, & roſæ, & earum ſemi na, & citria, & è liquidis acetum, & omphacinum, & vinum oxya canthinũ. ex antidotis verò ſunt Theriaca & Mitridatum, & tro chiſci de viperis, & Diamuſcum, & diambra, & cyphi, & ſaccarũ roſaceum, & eiuſmodi. Quæ verò ſpiritualem antipathiã habeant, non ſatis facilè eſt iudicare, quoniam eadem habent & eã antipathiam, quæ inter materiales qualitates verſatur. quoniam tamen nõnulla maiorem quandam vim præſe ferunt, quàm materialium qualitatum (vt ſupra diximus) exiſtimandum eſt talia maximè eſſe terram lemniã, & bolum armenium, & ſcordium, & Heptaphyllon, & cornu Monocerotis, & prædictas gemmas pręcipuè Smaragdum,

& Theriacam, & Mitridatum, & ſi quid aliud in experientiam ve nit. Vrentibus autem vti tum ſolũ licet, quum contagio extra eſt, & ea quidem maligna ac in principio. ſi enim introrſum ſit contagio, adhibere quidem non potes vrentia ſine maiori pericu lo, extra verò ſi ſit, apponere qui dem potes & debes ſi maligna ſit contagio. verũ in principio ſolũ iuuabis. ſi enim iam radices egit, & introrſum ſeſe inſinuauit, ni- hil quidem proficies, ſi extra vrẽ tia appones, licet tamẽ quandoq; vicina vrentibus applicare, qbus admiſcẽda erunt pinguia quędã, quæ in ea introferant, at ſi extra quidem ſit cõtagio, nõ autẽ mali gna, nec ſic quidem vrentia ſunt applicãda. quãdo per alias facul- tates leuiores, & per abſtergẽtia

ſola

ſola leuare morbum datur, vt in ſcabie & ſimilibus. de his autem in particularibus rurſus dicetur, & quãdo & quomodo cõueniãt.

Calidis verò & ſiccis vti tum debes, quum materia non valde acuta eſt, ſed frigidior, ſiccis verò & frigidis quum calidior eſt. quoniã autem horũ multa & ſtiptica ſunt, & ſubſtantiæ craſsioris, inferius quidem examinabimus, quomodo liceat ea adhibere, & nõ adhibere. porrò per decocta conuenienter ages quũ introrſum contagio eſt, vt in febribus. per pulueres verò quũ maximè & multiplici facultate obſiſtere putrefactioni voles. atq; hęc quidem ſatis ſint quantũ ad vniuerſalem curandi rationem pertinet, nũc particularia proſequamur, à febribus incipientes,

De Curatione febrium variolarum, & morbillorum. Cap. 4.



Nter febres quæ in contagione verſantur, illæ prius percurſę fuere, quę vocatas variolas & morbillos emittũt, vtpote minus ferę. de quibus quidem agemus, quatenus nondum peſtilentes ſunt. nam & ipſę in peſtilentijs ſępe viſuntur, ſimpliciter autem peſtilentes nõ ſunt. quoniã igitur diximus expulſationem illã variolarũ, morbillorumq; quodãmodo criſim quandam eſſe, & ſequeſtrationẽ menſtruæ infectionis à ſanguine nulla tibi eſſe alia intentio debet, quàm vt non impedias expellentem naturam, ſed iuues potius, ſi opus eſt. quippe eam impediunt nonnulli interdum phlebothomijs, interdũ purgatorijs pharma

macijs. quare quũ tu videris febrem esse eiusmodi, quæ eas expulsiones aut faciat, aut factura sit, tum abstine à medicamentis omnibus, sed naturam sine per se agere, nisi fortè à principio magnam plenitudinem fueris cõspicatus. tũ enim licet vti purgante pharmaco, sed non acri & molesto: quod si iuuãda natura sit, locum prius procura, vt calidus decẽter existat, vt ęger pãnis cõueniẽter tegatur, & ijs rubentibus, vt leui vtatur cibo, vino abstineat, tũ vide quæ causæ prohibent expulsionẽ, num carnis densitas sit, aut crassities materiæ. tunc enim iuuanda est natura cum ijs quæ foramina cutis aperiunt, & materiã attenuant. quales sunt caricæ: & feniculus, & carui, & apiũ, & similia, ex qbus cõmodè decocta fient.

fient. ſunt qui addāt lentes abie-
cta prima aqua decoctas, aliqui q
& tragacantham, quod quidem
fortè miretur aliquis. quando in
lentibus & tragacantha cōtraria
magis videtur intētio ineſſe, quū
& ingroſſent & inſpiſſent ſangui
nem, & cutim obſtruant. Verū
ita res accipienda eſt, ꝙ ebulitio
ſanguinis interdū temperata eſt,
interdum non temperata, ſed aut
maior q̄ oportet, aut tenuior quā
oportet: ſi igitur temperata eſt,
craſsior aūt humor qui feruet, tū
neq; lentes, neq; tragacantha ad-
iungi debet, ſed ſat erūt, quæ ſub
tiliant. at vbi intemperata eſt, &
maior quàm oportet, aut quod
excernitur nimis ſubtile viſum
fuerit, tum ſi prædictis addantur
lentes & tragacātha, rectè facies,
quoniā ita ebulitionem tempe-
rabis

rabis, quod & in ſputo ſæpe fieri oportet, quũ plus æquo tenue eſt. nec plura de his febribus dicantur.

De Cura febrium peſtilentum communi. Cap. 5.

Nunc verò ad eas pertrãſeamus, quæ peſtilẽtes vocantur febres, quòd vel partẽ maiorem perdant, vel multos ſaltem. quarum quæ maiorẽ partem perdunt, verę peſtilentes dicuntur, quæ verò multos ſolũ, malignæ magis dici ſolent. quoniã autẽ gradibus ſolũ differunt, & cõmunẽ quãdã naturã habẽt, cõmunes primũ earũ curationes & intentiones trademus, mox & proprias proſequemur. Ergo ijs primũ conſideratis, quę diximus eſſe circa cõtagiones cõſiderãda, analogia ſcilicet loco, tẽpore &

ante

ante alia morbi origine, extrinſeca ne ſit, an intrinſeca. Scito & in his illa tria pręcipuè eſſe attendẽda, ad quæ prius diximus eſſe omnẽ intentionẽ dirigendã: ſeminaria ſcilicet, materiã periclitantem, & eã quæ periclitata iam & prorſus corrupta eſt. Ac quoniã ſupra dictũ eſt, ſeminaria poſſe vniuerſaliter vel extingui, vel frãgi, vel educi, vel per antipathias repelli, videndum eſt, quænam ex his in peſtilẽtibus febribus cõuenire poſsint. ac primum quidẽ extingui ſeminaria per vrẽtia nõ datur, quoniã febris iam introrſum facta eſt, nec ſatis tutum eſt, introrſum aſſumere quæ vrunt. extra verò ſi apponas, aut nihil operaberis, aut contagẽ exagitabis vehemẽtius, quare ꝑ alia ingenia age. vtrũ autẽ extingui per fri-

frigida posſint, vt per aquę potũ, dubitationem habet, quoniã & ſi aqua quatenus frigida iuuare posſit, at tamen quatenus humida, obeſſe non parum videbitur, ꝙ augeat putrefactionẽ. non ſolùm igitur, propter hanc cauſam nocere potus aquæ poteſt, ſed & ob illud etiam, ꝙ materiam crudiorem reddit, & obſtructionẽ adauget, quapropter in maiori parte harum febriũ abſtinere ab eo potu melius eſt. nihil tamẽ ꝓhibet certis caſibus etiã cõuenire quũ febris ardens eſt, & cholera quodãmodo fuerit, ſi & reliqua cõſentiãt. tũ enim magis prodeſſe frigiditas, ꝗ obeſſe humiditas poteſt. Igitur quum extingui non niſi rarisſimè posſint ſeminaria febrium contagionem peſtilentem habẽtium, videndũ eſt

vtrũ ſaltem educi poſsint, ſed certè & hoc difficulter admodũ fit. per ſe enim ſeminaria valde diſperſa ſunt, & ſi educi detur, educuntur quidem per eductionem materiæ, cui ſunt hærentia. quomodo tamen fiat, & quibus modis melius, q̃bus difficilius, paulo poſt oſtendemus quũ de materiæ euacuatione tractabimus. ſuperesſe igitur videtur, vt maximè procuremus ea frangere, & per antipathias repellere. eorum autem quæ frangunt, omnia quidẽ potentia ſicca ſunt. ſed alia calida quidẽ ſunt, alia frigida, & rurſus alia ſicca tantũ ſunt, alia etiã ſtiptica, & craſſæ ſubſtantiæ. quare & dubiũ eſt vtrũ calidis vti liceat in his febribus, & vtrum ſtipticis. nam calida videntur, & febrem augere, & acrimoniã ſemi-

na

nariorum. ſtiptica verò videntur obſtruere, & tranſpirationem intercludere, & materiam craſsiorẽ facere. ad quæ dicẽdum eſt diuerſitates & analogias contagionum conſiderandas eſſe. aliæ enim ad craſsiores & pinguiores humores habent analogiam, aliæ ad ſubtiliores & acres magis, & aliæ ad ſpiritus etiam. porrò in quibuſdam obſtructiones multæ ſunt, in quibuſdam pauciores. vbi igitur analoga eſt contagio ad craſſos & frigidiores humores, præcipuè ſi & obſtructiones non paucæ ſint, bene erit ſiccis vti, quæ etiamcalida ſint. frigida autem minus conuenient, maximè ſi & ſtiptica fuerint craſſæ ſubſtantię. at vbi analogia ad ſubtiliores & acriores humores ſit, vel ad ſpiritus ipſos, obſtructiones autem

paucæ fuerint, tum decet per ſicca illa agere, quæ ſimul & frigida etiam ſint, quæ ſi etiam ſtiptica fuerint, nihil refert. frangūt enim hæc maximè & virtutē continēt, ne diſſoluatur, quod potiſsimum accidit in his febribus. porrò ſi ea quæ per antipathias valēt, vlla in contagione cōuenientia ſunt, in hac certè conueniētiſsima & maximè prǫſentanea ſunt, in qua cō tages venenis quibuſdam aſsimilatur. quare his maximè vtendū, nec vnquā deſerēda, quæ tū repellendo, tum & confortando iuuāt. atq; hę quidē intentiones ad ſeminaria habēdæ ſunt, quæ ſi ab aere vel alio dependeant, illud etiam principium extinguendum & frāgendum tibi erit. Ad materiā verò, quę in periculo eſt, primum illud ęquum eſt quęrere, vtrū euacuat

cuatio vlla cōueniat, & qualis. ac conuenire quidē cùm plenitudo adeſt humoris ad putrefactionē parati manifeſtū eſt. vbi verò plenitudo ea nō adſit, ſed corruptio tota è cōtagione depēdeat (nihil enim prohibet aliquo probè ſano exiſtente contagionē inferri) tū non eſt procurāda euacuatio materiæ periclitātis, p̄ſertim phlebotomijs aut pharmacis. quinimo de his dubitatio eſt, & controuerſia inter medicos vtrū ſint adhibēda in ea etiā materia, quæ cū plenitudine peſtē affert. quippe ſunt qui in omni peſtilentia nō ſemel ſolū, ſed & bis ſanguinē hauriāt, rationem autem facti addunt, ꝙ hic morbus ſit magnus, imo omniū maximus, quòd ebulitio in ſanguine magna fiat, ꝙ peccatū in ipſo ſanguine quaſi ſēper ſit, &

corruptio, ꝗ per phlebotomias bene euentetur corpus & transſpiret, ꝗ natura multum in his febribus grauetur, quę niſi ſubleuetur morbum non ferat, nõ expellat, nõ cõcoquat. propter quod multi viſi ſunt, quibus phlebotomia facta, ſtatim lenticularum expulſio facta fuit, quũ prius nulla appareret. Contra alij magnopere à phlebotomijs cauent, quòd experientia conſtet partem maximã eorum, quibus detractus fuiſſet ſanguis paulopoſt aut obijſſe, aut in deterius lapſos, vt annis 1505. & 1528. manifeſte viſum fuit, qua in re mihi ita dicendum videtur, quòd aut cõtagio extrinſecus cõcepta eſt, aut intrĩſecus primo in nobis facta, & hæc rurſus vel in initio eſt, vel iã valde ſparſa. ſi igitur extrinſecus venit cõtagio ſiue

in

in initio ſit, ſiue nō, nunquā ſanguis eſt per phlebotomiā mouēdus. ea de cauſa quod cōtages introrſum trahitur, & verſus cor, tā ea quæ circa ſumma eſt, q̃ ea quæ in venis pulmonis, niſi adeò magna plenitudo videatur vt ferri non poſsit. tū enim licet phlebotomia vti, ſed & hoc circa initia. propter quod ſuperioribus annis in quibus cōtages extrinſecus in nos venerat, maior pars eorū quibus ſecta fuit vena, periere. Si verò cōtages in nobis primò oborta fuerit, ſecurius quidem poſſumus detrahere ſanguinem, ſed & tūc ab initijs, & cùm plenitudo videtur. in vniuerſum enim hoc cōſtare debet, cùm iā ſparſa contagio eſt, & ſeminaria late iā diffunduntur, nihil venæ inciſionē iuuare, quinimo longè nocere magis.

quoniam omnis agitatio, quæ in ſanguine fit, putrefactionem valde adauget, quòd ſeminaria magis miſceri accidat, & ſinceras partes cum infectis, non aliter q̃ ſi in craterē aquæ ſalis aut fellis modico iniecto, ſi quieſcat aqua, & nō agitetur minus ſalſa & amara permanet, ſi verò agitetur, ſtatim tota contaminatur permiſtis minimis inuicē. quare non ſolū ſuperioribus annis, ſed ſemper & in alijs quoq; peſtilētijs viſum eſt magnā phlebotomatorum partē rē male egiſſe, quòd in anguſto ſit tēpus, in quo venæ ſectio cōuenit, in amplo autē in quo nō cōuenit. quare bene perpendere opus eſt, quando & quomodo ſeces, quòd ſi ſecanda ſit vena, ſatius etiamnū exiſtimo ſecandam eſſe eam, quę in talis eſt, aut hęmorrhoidas aperi

riendas.hæc enim & ſi nõ omnes venas,quę ad cor poſſunt deferre contagem,diuertũt, at quarundã tamen curſum ab eo reuocant,& contagem amouent.ſed certè cõuenientius agunt, qui per cucurbitulas multas cõminuere ſanguinem volunt.nihil ergo te moueat ad ſecandam venã,quòd morbus ſit magnus. maior enim fiet ſi ſecueris, maior quoq; & ebulitio, & corruptio in ſanguine,tranſpiratio autem minor.quòd autem expulſio lenticularum in quibuſdã viſa fuerit facta phlebotomia,nõ potentiam maiorem virtuti additam mõſtrat,ſed ſymptoma maius. ſicut enim cõmota aqua calida,euaporatio fit maior,ita & hic cõmoto & agitato ſanguine euaporatio excitatur maior, q̃ valdè ſtimulãs virtutẽ,expulſionẽ irre-

gularem facit; non qualẽ natura per se quasi crisim faciẽs deligere solet cuius signũ est, quod statim delitere, cõsueuere expulsiones illę, quas symptomiticas vocãt. quare nec ijs apparẽtibus multa spes nos tenere debet. De ea verò euacuatione, quæ per medicamenta purgatoria fit, similiter nec planè cõuenit inter medicos, quibusdã parcẽtibus medicamẽtis, quòd videant ijs assumptis, ægros quasi â summo ad imũ concidere, alijs verò vel crebro exhibentibus, & alijs placidiora quidẽ, alijs acerbiora propinantibus. de quo rursus penè idem dicendum quod de phlebotomia, nam & pharmaca introrsum trahunt contagẽ, & sanguinẽ maximè agitant, & permiscẽt, propter quod multi visi sunt quasi de omni virtute deci-

disſe. Igitur niſi magna appareat plenitudo, bonum eſt pharmacis abſtinere. ꝙ ſi affuerit, apta autē vt euacuari poſsit, maximè circa initia, (multæ enim materiæ non ſunt crudæ etiam per initia) tum ſolutiuis vti potes. placidiora verò, ipſe amē magis, q̃ acria, ꝙ ſi nō ſufficiant ea craſsiores humores educere, danda quidē & acria ſuadeo, ſed quantitatis minoris. porrò nec diſpliceat euacuatio illa, q̃ per vrinam fit, & quę per ſudorē. Auxilia præterea illa, quæ ſupra dicta ſunt valere ad materiā, quæ corrūpi incipit, prætermittenda non ſunt, ac imprimis quę exſiccant, quorum quæ ſimul calida ſunt, tum exhibeātur, quum craſſiores, & ſegnioreshumores ſunt. quę verò frigida, vbi tenuiores & acriores ſunt, tum nec diſpliceāt,

q̃ imputreſcibilia ipſa exiſtentia intermiſta prohibẽt putrefactionẽ, quorũ multa etiã ſpiritualem antipathiã habẽt, & partim repellunt, partim cõfortãt, vt odorata.

Materiam verò, quę iam corrupta eſt, nõ intra debes relinquere, ſed ſecernere, & extra pellere quantum potes. facit id quidã ſępe natura modo p maculas quaſdam, modo per puſtulas, modo per abſceſſus alios, vt plurimum autem per alui deiectionem. Verùm quũ ſegnis natura eſt, tu eius officium aſſume, & euacua interdum cliſteribus, interdum leniẽtibus, interdum purgatorijs pharmacijs, verùm caue ne ſtimulum multum adhibeas, quoniam quæ corrupta ſunt, non poſcunt irritamentum magnum, lubrica ipſa exiſtentia, atq; etiã valdè irritantia

tia. Sūt qui per aloem aut diebus singulis, aut alternis leuiter purgent, alij per alia. cuius rei certa methodus esse non potest, sed discreto medico opus est.

De curatione febrium quæ lenticulæ vocantur. Cap. 6.

NVnc de particularibus magis agamus, ac primū de curatione earū febriū pertractemus, quę ꝙ non verę pestilētes sunt, malignę tantum dicuntur, quales illæ fuere, quæ annis 1505. & 1528. tam largè apparuere, quas alij lenticulas, alij pūcticula vel peticulas appellauere de quibus diligentissimè agendum videtur, quoniam sæpe per epidemias reuertuntur, sæpe sine ijs enascuntur, ac nunc etiam per Italiā visuntur, certis autē regionibus maximè familiares. referemus

mus autem in primis quo pacto medici eas curabant, quũ primũ in eas perinde ac ignotas incidere inter quos tanta diſcordia orta fuit, vt penè ludibrio haberentur. nã vt à victu ordiamur, alij liberaliter & largè nutriri ægros iubebant, quòd dicerent virtutem plurimũ diſſolui, ita præcipere Hippocratem, ita principẽ Auicẽnã, alij tenuiſsimum victum dabãt, exiſtimantes ægritudinem à plenitudine multa depẽdere, alij extremorum dubij mediocritatem tenebant vti ſecuram magis. meracum nonnulli propinabant, nõ nulli aquam aut ſimplicẽ, aut vino granatorum permiſtam. ſed nec minus circa phlebotomias cõtrouerſia oriebatur, alijs protinus & largè ſanguinẽ haurientibus, alijs nunquã volentibus ſecare

re venã, quòd vidiſſent maiorem partem eorum, quibus ſecta fuiſſet, vitã finire, inter quos alij putantes media quadam via incedere hęmorrhoidas aperiebant. porrò & circa euacuationes eadẽ diſſenſio agebatur. alij enim acribus medicamentis vtebantur, alij aut nullis, aut leuioribus, nec deerant qui dicerent eam febrem ſudoribus eſſe finiendã, qua in re & empirici quoq; & chimiſtæ ſuas partes habuere, qui ſublimatis quibuſdam liquoribus ad eam rẽ efficaciter vterentur, à quibus plurimi mortui ſunt, multi ad orci portas deducti quidã omnino ſaluati. maior medicorũ pars more empiricorũ à venenis ſimilitudinẽ accipiẽtes, ijs vtebãtur, quę ad venena ſolẽt apponi, quare & per bolum armeniũ, & terrã lemniã,
&

&eiuſmodi medicabantur. cōtrà alij iſthæc negabant eſſe adhibēda, quòd obſtruerēt venas & foramina, quòd expulſiones impedirēt, ſed cōmunibus digerentibus agebāt. nōnulli exiſtimātes morbū in aduſtione conſiſtere ea dabant, quę aduſtioni aduerſantur. inter quas controuerſias magna mortaliū pars, & nobilitas vrbiū perijt. Nos quæ partim lōga experiētia, partim ratione cōprobauimus, in medium adducemus, ſi tanta in re pręſtari mortalibus aliquod beneficiū poſsit. quod certè fiet, ſi quę circa contagiones cōtemplati fuimus, non aſpernabūtur. in primis igitur ante oculos ea ſunt habēda, quæ ſupra de analogia eius febris, & cauſis dicta ſunt. Quoniam ergo eius analogiam diximus, nec ad ſpiritus

per

per se esse, neque ad acres humores, sed ad mediam quandam materiam, qualis est sanguis, in qua dissoluatur quidem virtus, sed nõ vehemẽter, & cito. incipiẽtes quidẽ à victu melius egisse illos existimamus, qui mediocri victu vtebãtur. sic enim & æger nõ grauabatur, & cõseruabatur virtus, quare & nos hac diæta ægros semper nutriuimus, interdum quidẽ subtrahentes magis, interdũ & apponentes. neq; enim hæ febres semper in eodẽ sunt, sed aliæ ad acutas magis accedunt, aliæ ad tardiores. prout & sanguis modo biliosior est, modo pituitosior. potus autẽ si fieri potest, non è vino detur, quoniã euaporatio multa in his febrib⁹ accidit, & deliriũ facillimè cõsequitur, qđ pessima res est, non solũ ꝙ circa nobilissimũ

memb

membrum verſetur malum, ſed ob id quod parere nolunt ægri. ſit ergo aqua vel ſimplex decocta vel aceto miſta, qui potus ante alios mihi idoneus videtur, quod ſi ſtomachus fortè non ferat, nihil prohibet cinnamomi paululum admiſceri, ſunt qui miſcent ſyrupũ acetoſum, aliqui qui citri ſuccũ. ſunt etiã qui magis ament aquas, quæ ſublimatæ vocantur, vel cicorij, vel oxaldis, vel cicerbitæ, vel boraginis & id genus. quod ſi vinum concedendum ſit, eligatur quod pauciferum vocatur à græcis ὀλιγοφορος, ſapore acerbum.

Aer verò ſi quid vitij continere videbitur tibi, aut permutetur, aut bene perfletur, aut per irrorationes & ſuffitus emẽdetur, tum reliquum diæticum regimen rectè diſpenſetur, vt par eſt.

Quod

Quod verò ad medicinale atti net, q̄rendū in primis de phlebo tomia videtur vtrū conueniat in his febribus, an non, & quando, & quibus è venis, quoniā ita certè res cecidit annis ſuperioribus, vt maior pars phlebotomatorū perierit. cauſam ego arbitror inde fuiſſe, quòd febres illæ tū maximè ex aere contigere (vt dictū eſt) quare extrinſecus quum veniſſet contagio, circa ſumma in corporibus præcipuè vigebat, & in venis remotioribus. facta igitur phlebotomia introrſum, ſtatim trahebatur in ſpiritualia. adde & illud ꝙ febribus his lenibus & placidis apparētibus, non fiebat venæ ſectio circa initia, ſed tū maximè quū ſeminaria iā diſperſa erāt, & radices vndiq; egerāt. quare ſecta vena, ſanguis plu

rimũ quidẽ agitabatur & cõmiſcebatur, parũ autẽ de ſeminarijs & de corrupta materia ſecũ educebatur. vnde in diſcrimen ponebatur magis æger q̃ iuuaretur. ſi igitur & nunc quoq; aut futuris tẽporibus extrinſecus videris acceſsiſſe contagionẽ, non affueris autẽ circa principia, præſertim ſi nec adeſſe magnã plenitudinem animaduerteris, tũ ſatius erit venæ parcere. at verò ſi corruptio in aliquo primo enata fuerit, ſi vocatus fueris ad principia, tum ſecurè venã incide & ſanguinẽ multũ extrahe, ſi reliqua cõſentiunt. ꝙ ſi poſt tertiũ diẽ aut quartũ ſolũ acceſſeris, tũ maturius cõſule. ſi tamẽ hominẽ ſanguinis multi, præcipuè & fibroſi præ manibus tibi fors dederit, aude ſanguinẽ haurire, niſi natura tẽtauerit expul-

pul-

pulſionē aliquā. cæterū quū valde ſparſa cōtagio eſt ſectioni parce, ſed cucurbitulas appone, niſi valde magna ſit plenitudo. ea em̄ quū eſt, melius aut per pharmaca tolletur, aut ꝑ apertionem hæmorrhoidū, aut inciſionē ſaphenæ. De pharmacis verò purgatorijs eadē animaduerſio habenda eſt. nā & ipſa à circūferentia introrſum trahunt, & ſanguinē valde exagitant. & nō multū de ſeminarijs educūt. ſi tamē plenitudo humorū viſa fuerit, niſi ex ijs fuerint, qui cōtumaces ſunt, euacuationibus, ſi potes à principijs euacua. alioqui aut nihil moue, aut ſolùm quātum ſufficiat educere, quæ iā corrupta eſt materia. ſint aūt ſolutiua, aut aloe, aut caſia ſiliqua, aut māna, aut ſyrupus roſatus ſolutiuus. expertū au

tem eſt pharmacum illud multũ valere, quod per agaricum fit, & ſyrupũ roſatum ſolutiuũ. vehementiora verò mihi nõ placent.

Quod verò ad ſudorem attinet, non paruo teneri errore illos exiſtimo, qui indiſcretè volunt finire has febres per ſudorem. nã ſi obſtructio fortè adſit, ſi plenitudo, ſi cruditas, non ſolũ nihil proderis per inducentia ſudorẽ, ſed magnopere lædes. multũ prę terea refert, quibus ſudorem pro uoces. ſublimatorum enim mul ta præſertim chimiſtica calidiſsi ma ſunt, & febrẽ ardentiſsimam reddunt, ac virtutes exoluunt. tũ autem nõ damnẽ inuitandũ eſſe ſudorem quum maculæ apparẽt quidem, ſed ægrè natura expellit, reliquis conſentientibus. quare nec male videntur facere qui deco-

decocto feniculi, & lacæ, & caricarũ vtuntur. vtilius autẽ fiet si ea addantur, quæ simul & contagioni obsistunt, qualis est scordium herba & trifoliũ odoratũ, & quæ luiula vocatur, fortè quæ & oxys apud Plinium, & vocata gallica, & similia. placent quoq; & quæ per vrinã multã materiã educunt. nam multas ex his febribus vidimus ꝑ eiusmodi crisim finitas. His ergo cõsideratis, scito reliquam curationem in eo cõsistere, quod putrefactioni & cõtagioni omnibus ingenijs aduersatur, tam per ea, quę communia & alijs febribus remedia sunt, q̃ per propria contagiosis. quoniã autem quæ propria sunt, omnia quidem potentia sunt sicca, & sic eorum alia calida, alia frigida, & rursus alia etiam stiptica, & cras-

sæ substãtiæ, quęrat fortasse aliquis vtrũ calida conueniãt in his febribus, similiter & vtrũ stiptica, & quæ sunt crassæ substantię. qua de re Alexander Mondella medicus Brixiensis vir doctus & diligens nõnulla ad nos scripsit, ac pręcipuè super smaragdo, quẽ aliq medici veluti arcanũ quoddam & venerandum antidotum habent. bene igitur erit de hisce dubijs (vt promisimus) nonnulla dicere, quod maximè ad hoc febris genus pertinere videtur. primũ igitur quãtum ad calida attinet, quoniã multæ harum febriũ in sanguine pituitoso cõsistunt, & materia in eo genere crassiori, si quis per calida in ijs agat, nihil (vt opinor) nocebit, aut si frigidis, calida tamẽ permisceat, præsertim aromatica, & quæ excellẽ

ter

ter aduersantur putrefactioni. Si
verò biliosior fuerit sanguis con
uenientiora erũt frigida, siue pul
ueres fuerint, siue decocta, siue
alia. atq; in his si etiã stiptica ad-
hibeas, nihil officies, nisi valde
multa obstructio fuerit visa, qđ
rarius in eo sanguine accidit. qua
re nec dubita per hæc naturam &
macularũ expulsionẽ impedire,
si sanguis subtilis sit. nam potius
ebulitionem temperabis (vt in va
riolas dictũ est). ab his verò ma-
gis cauendum tibi sit, quum craſ-
sior est sanguis, & obstructioni-
bus paratior. Cęterũ illud notan
dum est, quòd stipticorũ quædã
crassissimæ substantiæ sunt, &
summè astringentia, vt pontica
& austera vocata, quales imma-
turi fructus, & sorba, & corna,
atque hæc quidem magis ca-

uenda ſunt. propter quod nec vinum laudem quod ex oxyacantha fit, nec quod è cornis. alia verò ſimpliciter acerba ſunt, qualis eſt aqua vino granatorũ admiſta, aut aceto, aut ſyrupo acetoſo, vel ſucco citrij & aurentij mali, & limonis, & ſimilium. atque hæc ſecurè concedi poſſunt. nihil enim quũ nocere poſſunt, tum vel maximè iuuabunt, ꝙ & ſicca potentia ſint, & frigida. quantum verò ad pulueres ſpectat, in vniuerſum dicatur, ꝙ eorũ quę terũtur, alia propter duriciẽ & ſiccitatem ſemper adeo ita conſtãt, vt quãq̃ multa opera ea teras, nunq̃ tamẽ apta ſint in farinã minui, hoc eſt in tã tenues partes, quin ſemper actu talia non percipiantur, qualia ſunt ferri & æris ſegmẽta, & marmoris, & vitri, & multorum lapi-

lapidum.alia verò sunt,quæ quã optimè in farinam vertuntur, vt Margaritæ,& coralia,& gemmarum multæ,similiter & sphragis, & bolus armenius, & plures aliæ terræ. Rursus quædã tritorum cũ liquidis nunq̃ ita misceri possunt,vt in vnũ coeant.quædã verò ita coeunt & coalescunt, vt actu esse per se nunq̃ sensu vllo discernãtur. qui igitur pulueres in farinã teri non possunt,nec bene cum liquidis coalescere, hi adhiberi in hac febre non debent,quoniã aut in stomacho, aut in intestinis residebunt, aut quo oportebat,non distribuentur.quare indigesti nocebunt non parũ. qui verò in farinã bene conteri possunt,& bene cum liquidis coalescere, hi non modo cauendi non sunt,sed maximè affectãdi,quo-

niá antipathiã tum materialem tum ſpiritualem aduerſus contagiones habēt. tum verò & intermiſti humoribus alia etiamnum ratione prohibent putrefactionē illorum. propter ſubtilitatē autē & tenuitatē ad quã redacti ſunt, neq; obſtruere poſſunt, neq; expulſionem vllã impedire. eiuſmodi autem ſunt, & phragis lemnia, & bolus armenius, & Margaritę, & coralia, & hiacynthi, & ſaphiri, & tormentilla, & biſtorta vocata, & cornu cerui, & monocerotis, & ſcordium, & id genus multa. De ſmaragdo autem ſpecialiter dicendo, ego quidem ab antiquis nullã talē attributã illi prærogatiuam inuenio, qualem recētiores quidã medici attribuūt. quoniam autem de rerum virtutibus loqui poſſumus, aut ꝑ expe-

perietiã factam, aut per rationẽ, ego quidẽ ſuper hac re experien tiam ſufficientem fieri ſatis diffi cile arbitror, nã & ſi aliqui aſſum pto ſmaragdo ter & quater viſi ſint euaſiſſe, infida tamen eſt ad vniuerſale, ſi illatio fiat, quoniã incertũ eſt, per accidens ne conti gerit, an per ſe, niſi ratio ad com- munẽ naturã fiat. poteſt autẽ ra- tio certè fieri ꝙ ſmaragdus vale- re ad eiuſmodi febres debeat, ꝙ frigidus ſit & ſiccus, quemadmo dum & de alijs dictum eſt. habe- re autem prærogatiuam ſup alia tanquam ſacrum quoddam an- tidotum ratio nulla afferri po- teſt. quoniam an agat & per ſpi- ritualem antipathiam, nec ratio- ne, nec experiẽtia cognitum eſt. regium tamen ſit medicamentũ, quod magno prætio venit. quæ- rat

rat autem quis & de Guaiaco ligno, & de radice Cinarũ, de qua in Gallico morbo dicemus, vtrũ conueniãt in hac febre. quoniam vtrũque & exſiccat valde & ſudorem mouet, & putrefactioni reſiſtit. ad quod dicimus nullam nos habere de ijs circa has febres experientiam, verùm quantum per rationem poſſumus exiſtimare, credendũ eſt vtrũq; valere ea in re plurimum. & Guaiacũ quidẽ quia ex ſubtiliſsimis partibus cõſtat calidis ac ſiccis, propter quas & valde exſiccat, & ſudorẽ ciet. eſt etiã & reſinoſa ea arbor, quare mirè & ad contagiones valet, decoqui autẽ in aqua debet permiſto etiam aceto, ne febrem augeat, qua de cauſa conuenientior etiam erit, vbi pituitoſior ſit ſanguis. Radix verò Cinarum ſiccisſi-

cifsima quidem eſt, reſinoſa autem non eſt, nec calida quantum ſenſu percipi poteſt. quare & dubium eſt quomodo ſudoris adeo prouocatiua ſit. Fortaſſe igitur eorum eſt, que potentia talia quidem ſunt, ſed remotè, hoc eſt quorum calidæ partes tardè actu fiunt, propter quod & ipſa ſudorem mouet, quũ ſeperata miſtione actu tandẽ fiunt igneæ & ſubtiliſsimæ partes, vel fortè, & ſi particulæ ex quibus conſtat per ſe calidæ non ſunt, propter ſiccitatem tamen & tenuitatem accẽduntur à calore noſtro, & ita ſudorem mouent. & ipſa igitur cõuenire his febribus poteſt, quoniã & valde exſiccet, & ſudorẽ faciat, & foramina cutis aperiat.

Ex ſyrupis autẽ valent acetoſus, & oximel, & de fumoterræ,

de epitimo, de citro, de acetoſa, de lupulis, de cicorea, de pimpinella, quæ ad œnanthes genus referri poteſt, & appellari œnãtilla. tum & qui de bizẽtijs dicitur, & de eupatorio, de thymo & eiuſmodi. aquæ verò ſunt boraginis, meliſſę, cicorij, cicerbitæ ſcabioſæ, cardi benedicti, calendulæ, lu iulæ, trifolij, Gallicæ acetoſæ ca. v. lupulorum, eupatorij, camedryos, pentaphylli, lapathi, maioranæ, calamenti, pullegij. Decoctio optima quæ habet Agrimoniæ, cicoreę, cicerbitæ. cap. v. recentiũ Trichomanis, ſcordij, dictami cretici. añ. M. i. tormẽtillæ biſtortæ, añ. vnc. ʃ. ligni aloes, caſiæ ligneę, ſquinanti, calami, gũmi añ. drach. ij. radicũ cãnarũ drach. iij. infundãtur oĩa per diẽ in aquæ puræ lib. x. mox fiat de-

coctio

coctio ad sufficientiam, cuius de
cocti colati vnc.v.cum syrupo de
citro vnc.i.exhibe in aurora. pul
uis optimus, terræ lemniæ, boli-
armenij, tormentillæ, scordij, cor
nu monocerotis, vel cerui añ. de
quo drach.j. accipiat cum aqua
rosacea vnc.ij.aceti vnc.j. Exper
tũ quoq; est, succi luiulæ vnc.iij,
aliud vilius quidem sed non mi-
nus valens Tormentillæ bistor
tæ. añ. drach.ʃ. detur cum aqua
cardi benedicti.

Intereavide si quid natura mo
uet, & per quam viam. si quidem
enim erit sanguis, qui erumpat è
naribus siue multus, siue paucus,
neque iuuato, neque retineto,
nisi virtus cadat. si verò mul-
ta & corrupta per aluum mate-
ria exiuerit, neque hanc com-
primito, nisi virtus collabens
po

poſcat. at verò ſi lenticulæ expellantur, eas quidem iuuare oportet, ſi natura pigra eſt, cũ ijs quæ ad cutim mouent, & contagioni ſimul contraria ſunt, quale eſt dictamum & coctum, & radix perſonatiæ, & cannarum radix, & eiuſmodi. Solẽt & accidẽtia quędã concomitari has febres, inter quæ eſt delirium, quod tametſi rariſsimè freneſim ſequitur, diuertendũ eſt tamen propter dictã cauſam. atq; hæc quidẽ ſatis iã ſint de puncticularibus febribus. nunc ad verè peſtilentes pertranſeamus.

De Curatione verè peſtilentum febrium. Cap. 7.



LOngè maior ſollicitudo & cura eſſe debet tũ publica, tũ priuata circa eas febres, quæ propriè peſtilẽtes dicun

cuntur, si medici & alij ad eas securè adire auderent. qua de causa multi ægrorum miserabiliter pereunt ab omnibus destituti. quoniam igitur cōtagio hæc sæpe ab aere originem trahit, sępe ab vno ad alium transit, sæpe concipitur fomite, nonnunquam & in nobis primò oritur, in primis non prætermittenda videtur ea curatio, quæ pręseruat. procurandũ enim in primis est ab ea non capi, quãdo vbi quis captus est, vt plurimũ etiam perit. Ergo si aeris vitio pestilentia cōtigerit, quod rarò quidem fit, tum nullũ est salutarius remedium, q̄ vt in prouerbio est fuga, & inquisitio salubrioris aeris, quod si fieri non potest, neq; enim semper & vrbes, & supellectiles, & domus, & chari relinqui possunt, at saltem aerem tempera

per ea, quæ dicta ſunt.

Proderit& latos ſtipularum incendere
campos.
Et nemora intacta, & ſanctos exurere
lucos.

Illud quoq; peruide, nũ ex alia regione deferatur ad tuã cõtagio, cui cõtra feneſtras occlude, & partes domus auerſas habitato, tũ fomes omnis tibi cauendus erit, ligna, veſtes, & omnia quę peſtilẽtes tractauere, qua de cauſa ſapiẽtiſsimè agũt illę Reſpub. quæ cõſuetudine & legibus prouidẽt, vt ſupellex omnis domus affectę cõburatur, hæredibus è publico ſatisfiat: vidimus anno 1511. quum p Germanos Verona teneretur, exorta peſte, qua hominum ferè x. millia periere, ex vna veſte pellicea non pauciores, quã quinque & viginti Teutones obijſſe,

vno defuncto alius induebat eã vesté, & hoc alius, & alius, donec monefacti è tot defunctis vestem combussere. nec minus cauendũ est, ab aere in quo ęger degit. quare adaperta sint hostia, & fenestrę præcipuè quæ in boreã spectant. circa ægrum sint flores & fructus odorati, & frigidi, rosa, ligustrũ, nymphea viola, citria, limones, poma apia, volema, Cydonia, persica. fiant & suffitus ex aqua rosata, camphora, & cariofilis. melius autem est, si potes, ęgrum nullum visere, conuentus hominum fugere, domi manere, quæ munda sit, quæ probè perfletur, tum non incalescas multum, ne cutis foramina ad hauriendam cõtagem aperias. quo verò & qui inspiratur aer, sincerior ingrediatur, tu quidem semper ore ver-

ſato aut iuniperi grana, aut gẽtia
næ radicem vel galangę, vel caſiã
ligneam, vel macerem, aut ſemẽ
citri. Nares quoq; tangito ſpõgio
la aceto & aqua roſata infuſa. In-
dumenta mundiſsima veſtito, &
non è lana ſi potes, ſed è ſerico,
quæ etiã ſæpius mutato. nec lau-
dem qui inedia quærunt ſiccum
corpus facere, quoniam venas ina
niunt, & auidas attrahẽdi reddũt.
neq; tamen crapulam volo, ſed vi
ctum, qui parcus ſit non alienus à
conſueto. omnes enim mutatio-
nes inſolitæ cùm in omnibus, tũ
maximè in hoc morbo damnari
ab Hippocrate conſueuere. Nec
diſplicet, vt aut Theriaca, aut Mi
tridato, aut terra lemnia, vel bo-
lo armenio cum aceto vtaris. Vti
le quoq; eſt, & iam expertũ Dia-
ſcordiom antidotum, quod com
po

posuimus non solùm conseruatio
nis, sed & curationis gratia. Lau-
do etiam vt pilulæ illę quæ com-
munes vocantur, duę aut tres an-
te cœnã singulis tribus diebus ca
piantur. per hæc igitur procuran
dum est, ne ęger fias. quòd si quis
iam factus est æger, & contagem
concepit, hoc pacto regẽdus erit.
in primis si febris ex ijs est, quæ
paucis horis perdere hominẽ so-
lent, qualis & ea est, quę in Britã-
nia sudor appellatur, nullus vi-
ctus exhibeatur. medicamẽtum
autem vllum vtrum sit afferendũ
habet dubitationem, & an in Bri
tannia rectè faciãt, nullum aliud
auxilium adhibendo, nisi situm
& decubitum per quem sudent.
Verùm meo quidẽ iudicio & in
Britannia, & alijs locis, vbi quàm
acutissimè pestis concepta fuerit,

bene agetur, si statim ad ea recurratur, quæ per vtranq; antipathiã diximus obsistere cõtagionibus feris. quale est sphragidis drach. i. cornu monocerotis scrup. i. aceti vnc. ʃ. aquæ rosatę vnc. i. porrò in Britãnia si sudor fortè detineatur aut quia æger non assuetus sit sudare, vtpote densę carnis, aut alia de causa impeditus, mihi non displiceat illa adhibere, quæ diximus sudorem mouere consueuisse, & simul obsistere contagioni. In alijs verò febribus, quę eã acuitatem non habent, acutæ tamẽ respectu earũ, quæ malignæ tãtum dicũtur, hæc adhibeatur curatio, victus in primis sit liberalior, quã in puncticulis vocatis, quò virtus custodiatur, quæ in verè pestilẽtibus vehemẽter dissoluitur. quòd earũ analogia vel ad spiritus est,

vel ad acutiores humores, & putrefactio cita & amplior. Vinum tamen nō propinetur, tametſi ali qui ſunt, qui prębent etiam meracisſimum, non rectè autem quoniam febrem in furorem vertūt. quū præſertim per alia refici virtus ſiue eo periculo posſit. bibant ergo vel oxycratum, vel aquam cum vino granatorum, aut cū ſucco limonum permiſtam. Carnes ſi aſſæ ſint, & aqua roſata ſæpius inter coquēdum irroratæ, placeāt mihi magis, nec non quę à mulieribus gelatinæ vocantur. fercula verò ſint è lactucis, & endiuia, & boragine, & ceraſis acerbis, & oriza, & panico cum pauco aceto, aut omphacino. nec acetaria denegētur è cicorio, cicerbita, oxalide, boragine, meliſsophyllo, condrilla, ea quam crencanum

ruſtici appellant. nec non è flori-
bus citri, & bugloſſæ, & boragi-
nis, & eiuſmodi. Phlebotomia mi
hi nulla ſit in his febribus, quoniã
rariſsimè in nobis primò fiũt, ſed
extrinſecus veniũt, aut è fomite,
aut etiam ex aere, aut ex vno in
alium. verùm quocũq; modo ac-
cidat, ſectio venę parum prodeſſe
poteſt, quòd ſeminaria non poſ-
ſunt educi, multũ autem obeſſe,
quòd & cõtagio introrſum traha
tur, & ſanguis nõ mediocriter agi
tetur. propter quod non in lenti-
culis ſolùm, ſed & in verè peſti-
lentibus febribus experientia cõ
ſtat, maximam partem eorũ, qui
bus ſecta fuit vena, perijſſe. ſatius
ergo erit: & in his per cucurbitu-
las ſanguinẽ imminuere. de phar
macis quoq; quæ ſolutiua dicun-
tur, eadẽ dicenda ſunt, quæ ſuprà
dixi

diximus in lenticulis. nã & in his febribus cõtrouersia est inter medicos, alijs per acerrima iubentibus esse euacuãdum, alijs per placidissima. quod & nos ex nostris principijs rectius factum arbitramur, tũ quòd materia pauco indiget stimulo, vtpote plus nimio corrupta, tũ ꝙ per acria agitatio multa in humoribus fiat, & euacuatio pauca seminariorũ. quare ad materiam, quę in dies corrumpitur & euacuatione indiget, si vel per clysteres, vel per leue aliquod pharmacũ corpus expurges, sat esse poterit tibi, quales sunt, vel communes vocatę pilulæ, vel casia siliqua, vel etiam rhabarbarũ, vel syrupꝰ rosatus solutiuus, quę ego in hac labe omnibus alijs prę fero. quibus pro ætate & tẽpore, & morbo, & alijs vti poteris vel

quotidie, vel tertia aut q̄rta quaq; die, vt expediētius tibi videbitur. his ergo ritè perſpectis, extinctio ni contagionis intende, ſtudium omne & curam omnem cōuerte, quare nec communia digerentia curato, ſed ſyrupos (vt medici vocant) longos conficito, ęgrum coge, vt inde die noctuq́; bibat. non ſolùm autem, quæ in lenticulis dicta ſunt, remedia hic etiam adhiberi poſſunt, ſed & ſi aliqua valētiora ſunt, eligenda erunt tibi, ea præſertim, quæ omni antipathia iuuāt. Aquæ igitur ſint oxalidis, luiulæ, cicerbitæ, cicorij, nympheæ, herbę gallicæ, trifolij odorati, lichenis, quibus ſyrupi ſui addantur. Valētiſsimum eſt, & hoc quod habet ſucci limonis libras duas, aceti vnc. iiij. boli armenij vnc. j. quæ ſimul cōmiſta per diē

ma

macerari ſines, mox per elambi-
cum in aquã vertes. cuius vnc. iiij
exhibere poteris vel ſolas, vel cũ
ſyrupo aliquo. quòd ſi ardentem
febrem videris, ætatem autem iu
uenilem & robuſtam conſuetam
potui aquæ, cęteris conſentienti-
bus non diſpliciat mihi aquæ fri-
gidæ potus cũ ſyrupo acetoſo vel
ſucco citri. Pulueres porrò ne eos
prætermittas, q maximè per ſpi-
ritualem antipathiam valẽt, qui-
q; imputreſcibiles ipſi exiſtentes
prohibent putrefactionem in vi-
cinos humores ferri. quòd ſi aut
carbunculus aliquam in partẽ ir-
ruperit, aut bubo circa pubẽ, aut
poſt aures parotis inſederit, pri-
mum quidẽ caue ne aliquod ho-
rum repreſſeris, ſed potius euo-
ca quantum potes. ſi ergo carbũ-
culus fuerit, qui in orbem vrat,
&

&corrumpat membrum, tũ protinus nulla interpoſita mora, aut candenti ferro totum inure, & ſeminaria interfice, aut cauſtico aliquo age, quale vel Aegyptiacum vnguentum, vel fermentum cum ſucco Scyllæ, & ſublimato vocato, quod expeditiſsimũ eſt. mox vbi cruſta ceciderit butyro ſuper impoſito: vlcus mũdifica, ſed diu adapertum tene. ſi verò bubo peſtifer fuerit, ſed immaturus, ſcarifica tamen, & cucurbitula aliqua magna ſanguinem infectum extrahe, mox matura, ſed permiſcẽdo quæ euocant, & frangunt ſeminaria. cõueniet farina ſeminis lini, & feno gręci, & altea, & narciſci aut lilij radix, & galbanũ, & opoponacũ, & nitrum, & ſulfur, & cedria, & ſtirax liquida, è quibus emplaſtrum fiat, ad idẽ valet
&

Diachilon, & diachalciteos, aut & bubonium contusum vel solũ, vel decoctum cum cepe adiũcto galbano, styrace liquida ex axungia. est autem (vt arbitror) boboniũ quod Græci ἀσέρα vocãt. Virgilius Amellũ appellauit. copiosissimus autẽ est in agro nostro in vicinis Benaco collibus: surculi multi ab vna radice quasi sylua quędã tolluntur, quos vestiũt folia subaspera, angusta, digito lõga, virentia, flores circa summa multi aspectu pulchri, spectantur medio lutei ceu chamæmilæ, circum verò purpurei, in orbem stellæ modo dispositis folijs, herba tota mirè ad bubones valet, vnde & boboniũ appellatũ fuit. vbi igitur abscessus aliquãtisper maturuerit, tũ ne expectato exactã maturationem, sed aperi aut

cum

cum ferro, aut caustico aliquo, mox absterge, verùm nō leuibus & cōmunibus abstersiuis, sed ijs in qbus est exsiccatio maior, qualis est iris & aristolochia, & peucedanū, & helleborus, & terebinthina, & farina lupinorum, & id genus. ad parotidas autem eisdē ferè & cōcoquētibus, & euocātibus est vtendū. si igitur per hęc fracta aliquantulū ægritudo videbitur spē aliquam polliceri, per eadē remedia repetita curationē absolue. sin autē cōtumax adhuc & nihil parēs remedijs apparebit, ego (quod in mediū afferā) nō aliud maius remediū excogitare scio, quā hoc, quod habet, succi luiulę vnc. ij. succi citri vnc. j. Diascordij nostri drach. j. specierū cordialium è gēmis scrup. ij. aceti vnc. j. omnia bene misceto & totū hau-

rito, quòd si nihil iuuabit, scito morbum esse maiorem quàm humana remedia. sunt qui in smaragdo maximè cõfidant, qui in bolo armenio, qui in scordio, qui in dictamo nostra. Habet autẽ diascordium nostrum, cinnamomi, casię ligneę añ. vnc. ʃ. scordij vnc. j. dictami cretici, tormentillæ bistortæ añ. vnc. ʃ. galbani, gummi añ. vnc. ʃ. opij drach. 1. ʃ. styracis drach. iiij. ʃ. acetosæ drach. 1. ʃ. Gẽtianæ. vnc. ʃ. boli armenij vnc. 1. ʃ. terræ sigillatę. vnc. ʃ. piperis longi, ziziberis añ. drach. ij. mellis albi dispumati. lib. ij. ʃ. vini aromatici lib. ʃ. zucchari rosati. lib. j. m̃.

De curatione phthisis quatenus contagiosa est. Cap. 8.



Vnc de phthisi prosequamur nõ quaten⁹ aut à catarrhis, aut ab alijs depẽdet

det causis, sed quatenus è cõtagio-
ne concepta est, & ab ea per se pẽ-
det. multũ enim interest vtro mo-
do sit facta. nã quæ in contagione
per se cõsistit, eo qui accipit nihil
malè prius affecto, sed sano cõci-
pi potest, quare & catarhus & a-
lia si superueniãt, accidentia quo-
dãmodo sunt, & per se curationẽ
primariam nõ poscunt, ad quæ si
communia remedia adhibeas, ca-
put vras, sinapismis exsicces, spu-
tũ facilè reddas, frustra omnia tẽ-
tabis, nisi contagẽ quatenus cõta-
gio est, interimere studeas. Ergo
in ea phthisi, q̃ vel à cõuersatione
cũ phthisico, vel à fomite aliquo
contracta est, & illa in primis cõ-
siderãda sunt, quæ in vniuersum
diximus esse in cõtagionibus ani-
maduertenda, seminaria scilicet,
materiã q̃ in corruptionẽ tendit,
&

& eam quæ iam corrupta eſt. ſi igitur circa initia curationẽ aggrediaris, tum ad ſola ſeminaria attende, quæ ſi extingui quidem poſſent per vrentia, nihil præſentaneũ magis afferri remediũ poſſet, verũ quum hoc locũ non habeat ſine maiori periculo, potes tamen per aliqua, quæ proxima ſint vrentibus, curationẽ moliri. quod video & antiquorum nonnullos auſos fuiſſe, iubentes ſandaracæ nidorẽ per anhelitum in pulmones trahi. quum autẽ ſandaracã dico, nõ eam intelligi volo, quę vernix vulgò vocatur, ſed quæ auripigmentũ à nobis dicitur. porrò nec ꝑ auripigmẽtũ velim à te accipi priorẽ illã ſpeciẽ, quæ citrina eſt, ſed alterã quę eſt rufa, & propriè ſandaraca vocatur. huius ergo ſuffitu ſi vtaris,

non parũ proderis tantæ cõtagi.
proderit autẽ & Ari vel alterius
dracunculi radix in eclegmate
vel decocto aliquo oblata. ſimili
ter & iris, & ſcordiũ, & dictamũ
creticum iuuabunt. & Diaſcor-
dium, & Theriaca, & ſimilia. ꝙ
ſi morbus vltra principia iã pro-
greſſus vel catarrhũ mouerit, vel
aliter in loco materiã collegerit,
tum ſimul & ad ſeminaria, & ad
materiã potes animaduertere, ac
catarrhum quidẽ ijs omnibus in
genijs regere, quæ medici docẽt,
diuertendo, ſiſtendo, exſiccãdo,
euacuãdo, collecta verò materia
ſi craſſa, ſi viſcoſa eſt, digeri, &
præparari debet, vt per conueniẽ
tes regiones expelli poſsit. ſed id
ſemper ante oculos habe, vt con-
tagionem & putrefactionẽ pro-
hibeas, & ſeminarijs obſiſtas. qua
re

re hoc in caſu reſinæ maximè mihi placent, quæ omnes intentiones cõplectuntur, ante alias Terebinthina, mox Laricina & Abietina, tũ verò & myrrha & ſtyrax, & reliqua. poſſunt autem vel per ſe administrari, vel admiſta alicui ex prædictis pulueribus, q̃lis eſt bolus armenius, & ſphragis, & ſcordium. euitẽtur autem aſpera & ſtiptica, quæ ſpuitionẽ impediũt. propter quod nec malũ erit ſemp admiſcere aliquod leniẽtiũ, vt mel, vel ſaccarũ. Decocta quoq; valde mihi laudẽtur quoniã maximè penetrãt. optimũ ergo erit ſcordiũ, & ariſtolochia, & dictamũ, & pullegiũ, & gũmi, quæ cũ ſaccaro ebulliãt in aq̃ pura cũ pauco aceto, de quo decocto ſat erunt vnc. v. ſunt qui radice Cinarum vtãtur ad omnẽ

phthiſim, ꝙ valde exſiccet, & per ſudorẽ euocet, quod & nobis admodum placet. ſi verò materia acrimoniæ cuiuſdã particeps ſit, ea debes afferre, quæ exſiccẽt quidem, ſed minus calefaciant, optimum & ſuaue eſt ſaccari roſati vnc. ij. boli armenij drach. j. ſyrupi de pomis. q. ſ. miſce & vtere omni hora. ꝙ ſi materia iam corrupta apparebit, ꝙ è ſputo cognoſces, ſi flaueſcit, aut liuet, & fœtet, expediẽs tunc erit euacuare, non ſolũ per ſputi vias, ſed & per ſolutiua pharmaca, quę pro re eligãtur. ſi verò labes iam in pulmonem tranſit, qui aut vlcus cõtraxerit, aut eò peruenerit, vt iã flacceſcat, tum ſcito ægrũ eſſe in magno diſcrimine, quod vbi apud domeſticos præfatus fueris, hæc poſtremò remedia potes experiri.

ri.primum eſt decoctũ hoc quod habet xiridis.cap.v. Tuſsilaginis dracunculi radicũ,inciſorum omniũ manipulum.j. lapidis hæmatitæ,ſphragidos,boli armenij añ.vnc.ſ.ſymphiti alteæ ſingulorum.vnc.j. aluminis drach.ij.ligni Guaiaci lib.ſ.infundãtur per diem omnia in libris.viij.aquæ puræ,& fiat decoctum tertia parte conſumpta,de quo.vnc.v.ſumantur in aurora cum iuleb violato. Aliud eſt antiquorũ remedium, quod Plinius dicit valere phthiſicis deploratis,foliorum & radicum conſiliginis quantũ ſat eſt fiat decoctio, & decocto vtere bis vel ter in die vnc.j.ſ.eſt autem Conſiligo, quantũ cõijci poteſt,eadem quã idem plinius alio nomine herbam ignorans,eneaphyllon appellat,herbarij noſtri

caprariam, quidam & pulmonariam, non eam quidẽ quæ è genere buglossi eſt, ſed aliam pulmonariam ita vocatã, quòd pulmonũ vitijs valet præſertim ſuum & caprarum, quare nec ab re ab herbarijs capraria vocatur. Eneaphyllon autem etiã vocata fuit, ꝙ folia nouẽ habeat, diuiſa Hellebori modo, alia longiora, alia breuiora quales digiti ſunt in manibus. ſunt autem oblonga, per ambitũ ſerrata, anguſtiora quã hellebori, atre virentia cum leuore, flores quales hellebori, è folijs albicantibus quatuor conſtãtes, ac veluti calathum conflantes. in quibus ſemina quatuor iuxta poſita quaſi racemus ſuſpenſa ſunt, quare genus quoddam hellebori videri poteſt. Hãc & Ruellius ſignificare videtur, quũ deſcribere
vult

vult pulmonariam à veterinarijs vocatã. eſt autẽ vrentis virtutis, qua cõiectura quũ & folia nouẽ ſortita ſit, eandem eſſe putamus, quæ à Plinio eneaphyllon dicitur. Tertiũ remediũ habet Axũgiæ vnc.iiij.butyri vnc.ij.terebinthinæ vnc.j.ſtyracis liquidæ vnc. ʒ.Iridis,thuris,ariſtolochiæ, enulæ ſingulorũ drach.ij.argenti viui vnc.j.fiat vnguentũ, è quo brachia interna tota & dorſum inunge, ſeminaria contagionis abſumet, & materiã corruptã per ſputũ multã educet, verũ caue ne hectica febris adſit.hęc ergo ea sũt, q̃ mihi notãda viſa ſunt in phthiſi per cõtagionẽ accepta, quæ curatio etiã ad oẽm phthiſim accõmoda eſſe poterit, quę ad id iam venerit, vt cõtagionẽ inferre apta ſit quocũq; mõ cõtigerit ab initijs

De Curatione rabidorum. Cap 9.


Orbi quidã ſunt, quibus niſi illico (vbi apparuere) ſuccurſum fuerit, ſera pręterea ſit medela omnis, quales carbũculi quos anthracas gręci vocãt, & cancrenæ, & pręcipuè rabies de qua nũc agitur. qua de cauſa omnibus vulgò eſſe notos hos morbos oporteret, & nota quoq; remedia ea, q̃ ſtatim ſunt adhibenda. quod in rabie ſacerdotes melius inſtituêre quàm medici ad quos ſtatim deducuntur, qui demorſi ſunt. quos curãt tũ religione, tum medicorum officio & inſtrumentis vtentes. vrũt enim & ipſi locum. Ergo circa rabiem illud primò publicum ſit, illico ſi fieri poteſt, locũ demorſum vrendum eſſe. rectius autem fiet, ſi prius ſcarificato vulnere ſu

per

perponatur cucurbitula magna, quò extrahatur virus. mox vratur ita profundè vt putare poſsis vſtionem ad ſeminaria ipſa perueniſſe, illa animaduerſione habita quod liberius fieri pōt, vbi caro multa eſt, parcius vbi nerui multi & venæ, ferro id candenti argento, aut auro fiat. quòd ſi cui nimis impiū videatur, potes vrētibus medicamētis conficere. vbi locum inuſſeris curato vbi decidat cruſta per braſsicæ foliū butyro illitum. Interea tamen ſuperpone vnguenta, quæ ſimul euocent & exſiccent, ſi quid fortè ſeminariorum circa locum relictum fuerit. hæc circa initia factitanda ſunt, verùm illud nō ignorandum eſt, principia eius morbi valde ambigua eſſe, & latentia. in quibuſdam enim vſq; ad dies

duos protenditur principium, in alijs quoq; ad quatuor, in nõnullis & amplius, ꝓut & morbus in alijs magis, in alijs minus acutus est. q̃re expedit morbũ nosse, ne te principiũ fallat, & quãtũ ꝓtẽditur. in ipso enim si debita adhibeantur remedia, totus interficietur morbus. si verò iam principiũ præterijsse putes, & contagẽ iam altius radices egisse, vrendus quidem non est locus, quoniam agitabitur venenum magis introrsum: consulo tamen, vt scarifices, & supra ponas emplastra, quæ euocent, & exsiccent, quin & vesicas etiam inducant, quale est quod habet Galbani, serapini, opoponacis singulorum vnc. ʒ. euforbij drach. j. iridis, xiridis, Aristolochiæ, Gentianæ singulorum drach. j. nitri sulfuris

ris ſingulorũ ſcrup.ij.ceræ quod ſufficit. Quoniã aũt ſeminaria oĩa cõtagionũ materiã ſibi analogã inficiunt & corrumpunt, exiſtimandũ eſt per proceſſus morbi partem materiæ parari ad corruptionem, partem corruptã eſſe, quare & per ea, quæ prohibẽt putrefactionem procedere neceſſe eſt, & per ea quæ euacuant. quæ verò omnium conuenientiſsima adſunt ad euacuandum, ſunt Hieræ, tum Archigenis, tum quæ diacolocynthidos vocatur. atque item helleborus quo pręſtantius nihil eſt in hac labe, ſi in ſero lactis exhibeatur, valet & Epithimum, & in vniuerſum quę melancholicũ humorẽ purgant. Cõtagẽ autẽ prohibẽt, quę probè exſiccãt, inter quę antipathia quadã peculiari laudãt oẽs

cine

cine rem fluuialium cancrorum vstorum. laudãt pariter & Gentianæ radicẽ siue per se sumatur, siue cum prædicto puluere in vino albo, quidam & Thus admiscent, quo medicamento vtendũ omni tempore morbi. Commẽdant & Alyssum herbã, quæ nomen etiã sortita est, quòd sine rabie hominem faciat. Arabes alguascen appellant. in qua nõ parua ambiguitas est inter medicos, primum quidem vtrum eadẽ sit. Dioscoridi & Plinio Alyssum, deinde & quę nam apud illos sit. Plinius siquidem folia Alysso dicit in orbem esse circa caulẽ qualia in Rubia cernuntur. Dioscorides autem dicit rotunda esse. Alii qui Plinio Alyssum esse putant rubiæ genus syluestre quod mediũ est inter satiuã rubiã, & Apa
rinem,

rinem, quod certè nec ſolia rotũ da habet, nec traditis à Dioſcori de conuenit. qui de rubia agens vtrũq; genus proſequitur, mox de Alyſſo ſeorſum tractat. propter quod alij eã pro Alyſſo oſtẽdunt, quæ Lilialis ab herbarijs vocatur, non quæ apud Ruelliũ eſt lilialis, ſed aliã, cui flos eſt albus, verùm & huic folia rotunda non ſunt, ſed oblonga in acutum deſinẽtia. ſunt qui putent eſſe eã, quæ Aſperula vocatur, minor paulò quàm aparine, folijs in orbem poſitis, rotũdioribus. porrò difficultatem etiamnum auxere Paulus & Aetius, qui de Alyſſo agentes, concordes volunt Alyſſum eſſe Syderitem Heracleam. Galenus quoq; libro ſecundo de Antidothis eam deſcribens non aliam ſignificare videtur, q̃ ſyde-

ritem

ritem illã, quæ Heraclea vocatur à nobis vulgo Sclarea, in qua nõ parũ fallitur iudicio nostro Ruellius putans sclareã nostrã nõ esse syderitẽ heracleã sed Horminũ, de quo plura in alijs diximus. q̃-re nomen Alysſi apud posteriores græcos aliter videtur acceptũ quàm apud Dioſcoridẽ, qui de heraclea seorſum, & de Alyſſo pertractat. porrò nec folia rotunda syderitis habet nec semen in latitudinem se pandens, sed rotũdum. nisi quis dicat Dioſcoridẽ voluiſſe quandam Heracleæ speciẽ significare. plures enim sunt eius syderitis species, vna hortensis odorata, quæ herba S. Ioannis apud nos dicitur, maior reliquis caule & folijs. alia est pratensis, q̃ propriè sclarea dicitur, folijs asperis, oblongis ad saluiam

dentibus, caule quadrangulo, verticillis in orbẽ per interualla circã caulem diſpoſitis, in quibus flores purpurei ſunt, ſubceruli-zantes, falcati ad aquilini roſtri effigiem, quales & in ſatiua ſpectantur. alia eſt nemoralis floribus exalbidis ſubpallentibus, cęterum verticillis, & folijs prædictis ſimilis. eſt poſtremò & montana ſyderitis in totum pratenſi ſimilis, niſi quòd folia rotunda gerit, & verticilla minora, in quibus flore abiecto ſemina ſunt in inuolucro bina ceu ſcutula, mulieres hãc & in hortis ſerunt, ac Betonicam falſo nomine appellant.

Hanc ergo & fortaſſe opinandum eſt Dioſcoridi primum, mox Galeno & alijs fuiſſe Alyſſon, quæ & Syderitis quædam

eſt,

eſt ,non ea tamen, quæ ſimpliciter Heraclea intelligitur à Dioſcoride,quã pratenſem diximus· quicquid igitur de Alyſſo ſit,nõ errabunt iudicio noſtro,& q minorem Rubiã vel contuſam, vel ex aceto potã exhibebunt in rabie,quãdo & cõtra ſerpentes valet.nec illi pariter qui ſyderitem, quoniã & illa mirè deſiccat. Laudat Aetius expertũ ſenis cuiuſdã oxylapathum , quo tam introrſum quàm extrorſum vtebatur. non eſt autẽ oxylapathum , quæ acetoſa vocatur(oxalis enim ea eſt) ſed illud quod & folia & ſemen acuta inter lapatha habet.

De Curatione ſyphilidis ſeu Gallici morbi. Cap.10.



Vnc ad eas contagiones tranſeamus,quæ extima magis occupant incipiẽtes

tes à syphilide morbo nouo, in cuius curatione nec planè medici consensere, presertim quum primum in lucem venisset. nam sicuti in illius cognitione confusi plurimum extitere ac discordes, ita & in coratione non eadem arbitrati sunt. qui enim adustionem putabāt illius causam, per ea etiā medicabantur, quæ aduersantur adustioni, non solùm nihil iuuantes, sed mirum in modum malū augentes. qui verò existimabant esse idem cum Elephantia per vinum viperatum & viperæ carnes curandū præcipiebant. alij quietem iniūgebāt, alij & balnea frustrà experti sunt, alij doloribus solis intēti reliquam curationem negligebant, donec empirici à similitudine quadam eius morbi cū scabie fera permoti, ausi sunt

K priui

primi per cauſtica morbum cura re. multi mox largius de tota curatione ſcripſere, inter quos & nos carminibus nonnulla primũ luſimus, quum iuniores eſſemus ac ciuitate peſtilentia graui vexata rus ſeceſsiſſemus, vbi ad eam rem otij multum nobis dabatur. Quoniam verò Poetica, vt ſuprà diximus, nec omnia admittit, nec proſequitur, neceſſariumque nobis fuit plura tum relinqui, nunc quidem ſi rurſus ea curatio pertractetur, & non poeticè ſed medicè magis operæpræcium ſiet, præſertim quod nec ea de re rectè agi poſſe videtur, niſi contagionum natura bene perſpecta fuerit.

Qui igitur rectè curare hunc morbum volet, ad hæc in primis aduertat neceſſe eſt. primum quidem

dem vtrum recens ſit ægritudo, an inueterata, & quouſque proceſsit, & ad quæ membra, ſi neruoſa iam occupauit, ſi oſſa corrupit, tum & ſi benignior eſt, an fera, & ſi multæ materię eſt, an paucæ, & an tenacis, ac tractabilis magis, tota ne extrorſum ſit, an & introrſum, & ſi vlcera multa ſunt, & an plus dolorum quàm puſtularum, vel contrà, ſimiliter & gummoſitatum, & vt vno verbo dicam omnes differentiæ eius morbi ante oculos habēdæ ſunt. maximè autem analogia, nam tametſi ad phlegma craſſum & ſordidum per ſe ſit, non vna tamen eſt phlegmatis eius ratio, vt dictum eſt. pręterea & alia vniuerſalia cōſideranda ſunt, ætates, ſexus, anni tempora, cōplexiones, & id genus. neque enim omnibus

omnia conueniunt. His ergo bene perſpectis, ſcito eam labẽ quũ iã oſsibus inſedit, extra ſpẽ eſſe, niſi fortè ea oſſa vri poſſint. quare aut eam curationem reijce, aut malum rediturum prænuntia. ea etiamnum difficilior eſt, quæ eſt inueterata, & quæ à multa & tenaci materia pendet. quæq; multas gũmoſitates habet, & melancholicum hominem tenet. quare difficilioribus difficiliora etiã remedia ſunt adhibenda. particulatim autem proſequendo, aer primò ne impurus ſit, nõ auſtrinus, veruntamẽ ne auſtrinum fugias. valdè borealem & frigidum eligito. ocia porrò omnia, omnis ignauia & deſidia tibi fugiẽda eſt, tibi omni ſtudio, omni conatu exercendũ, laborandũ, ſudãdum, hoc dico, hoc hortor, hoc iubeo, currere,

re, ſalta, venare, pilam, luctã gladiatoriam exerce. per hæc materiam ſegnem liquefacies, attenuabis, & expelles, ac cum ea & ſeminaria contagionis. ſed ita hęc facito, ne quũ remittes, protinus frigeas, & ociũ ducas, ſed paulatim à fatigatione ad quietem te transferto, pãnisq́; obſepito, calido in loco morator, quĩ & in ipſo exercitio (ſi fieri poteſt) locum frigidum non deſidero. Adhæc cõſuetæ corporis expurgationes procurandæ, quæ per nares, quæ per cutim, quę per palatum, quæ per aluum, & ſi quæ aliæ ſunt, vt hemorrhoides & menſes, & reliquę. nihil verò ſuperfluum exeat, præſertim eorum, quæ per Venerem diſſoluũtur, vigiliæ vti nimiæ eſſe nolunt, ita nec nimius ſit ſomnus, nõ interdiu factus, nõ ſtatim

à cibo. curæ nullæ, nullæ ſolicitu
dines adſint. nulla ſtudia animū
occupent, nulla demū aſsidua mē
tis intentio. Cibaria verò magna
cura parāda ſunt, atq; eligēda: at-
q; in primis neq; tenuē diętā, neq;
crapulam volo. in vniuerſum au
tem vitāda ſunt putreſcibilia, du
ra concoctu, quæ viſcoſa, quę ma
li alimenti ſunt, tum quæ exurūt
quod in ſanguine dulce eſt, qua-
re & lac, & oua, & fructus, & legu
minum omne genus, & paſtaica
omnia, & ſuillę, & taurinę carnes
& piſces, & id genus omnia fugiē
da, piſcium tamen (quoniam ſę-
peijs vti neceſſe eſt) minus mali
ſunt, Gobij menę, paſſeres, ſcari,
percę, merulę, turdi, aſelli, aura-
tę, phycides, & è fluuijs & lacu-
bus vocati Temali & ſtrigli, & lu
cij, & cauacini, & barbuli, & ſar-
dell

delle, & carpij. è carnibus quadrupedum quidem posthabitis pedibus, capitibus, locinoribus, & intestinis, conuenient hædi vituli, hinuli, lepusculi, tum pulli gallinacei, phasiani, perdicum genus vtrunq; hoc est, quæ quaternices vocãtur vulgo à nobis, & quæ dicuntur perdices. item & turdi, & merulæ, attagenes, hortolani, galeritæ, ficedulæ, & auiculæ nemorales, & reliqua quę nota esse possunt. Vinum ne generosum sit, sed tenue magis, album, quòd & si aqua mulsa vti quis volet, non malè faciet. Quoniam autem (vt diximus) analogia eius morbi ad phlegma sordidum & crassum per se est, ad hoc quidem prę cipuè dirigẽda intẽtio est, in quo & seminaria contagionis continẽtur, & pars iã inficitur, pars in-

fecta & corrupta est. quare & ad hæc tria sicut & in alijs, animaduertere necesse est. ac ad seminaria quidem expeditissima esse potest curatio, si ad prima morbi initia accesseris, quę interdũ cognosci possunt, interdum nõ, nam suspicio quidẽ multa, & iudicium verisimile esse potest, quum quis se permistum nouit cum infecta, certissimum verò quũ iam & caries quædam circa pudenda obrepit. confestim igitur ea pars lauãda est per aquam rosaceam, mox rursus lauanda & fouẽda decocto ex alumine & erugine æris, aut inungẽdum circa pubẽ totam vnguẽtum, quod ad eum morbũ cõfici solet, de quo post dicemus. tũ & per os aliquid eorum sumẽdũ est, quæ contagioni obsistũt, qualis est Theriaca aut Mitridatum.

fortè enim per hæc ita ſeminaria
morbi abſumes & interimes, ꝙ
non vltrà procedet. ſi verò mor-
bus iam nõ circa principia fuerit,
ſed altiùs radices egiſſe cogno-
ſces, & iam aut dolores, aut puſtu
las, aut alia indicia adeſſe, tũ non
ſola ſeminaria reſpicere debes,
ſed ſimul & materiam, quæ par-
tim inficitur & periclitatur, par-
tim corrupta eſt, ſeminaria tamẽ
nunquam nolunt poſthaberi, ſed
ſemper aut interimi (ſi poteſt) aut
frangi, aut educi. materia quę cor
rupta eſt educi vult, quę verò infi
citur reſtitui, aut & educi ſi mul-
ta eſt. quoniam autem craſſa eſt
& ſordida in multo lentore conſi
ſtẽs, nec reſtitui, nec educi poteſt,
niſi ſubtilietur & abſtergatur, quĩ
imo niſi colliquẽtur, ita vt ab ea
ſordicies omnis abſtergi poſsit,

& aut exsiccari, aut in sudorē abi re. Verum quia permista sunt omnia, tū seminaria, tum materia propter lentorē, amplius & simul sunt pustulæ, & dolores, & sæpe gūmositates, videndū est si quod vnum ingenium & remedium est quod omnia exequatur, & omnibus valeat, an plura requirantur, & quæ ea sint. nā sunt qui tentant per purgationes solas omnia absoluere, alij per inunctiones, alij per suffitus, alij per ea quæ in sudorem conuertunt materiam, alij per ea quæ obsistunt contagioni, alij verò modo vno, modo alio auxilio ad diuersa vtūtur. quare de his omnibus diligenter quęrēdum videtur. primum autem ab euacuatione ordiamur. quā vnā sufficere ad totam curationē aliqui opinati sūt. quod certè & nos

in quibusdã feliciter cessisse vidi mus, in quibusdam autem nõ suffecisse. supponamus autẽ cũ in omnib' tũ maximè in hoc morbo prius digerẽdã pręparandãq; esse materiã q̃ educẽda mox est. oportere autẽ calida esse q̃ huic malo cõueniãt attenuatiua, & vt dicũt incisoria, quoniã materia lẽta est & sordida ac segnis. optima igitur erũt oxymel, & mel rosatũ & syrup' de prassio, de isopo, de betonica de calamẽto, de epithimo, de lupulis, & cõsimiles quibus aquę addãtur iridis, enulę, epithimi, agrimonię ca. v. feniculi, apij, pulegij, origani, pìpinellæ, cardi benedicti, cicerbitę, chamędrios aut fiãt decoctũ ex eisdẽ, & scordio, & dictamo cretico, & thymo, & betonica, & schinãtho, & verbena & syderite heraclea, & amomo,

&agalocho, &eiusmodi. potes eo dẽ tpe digere etiã materiã ꝑ inũctionẽ hãc vel cõsimilẽ, succi rutę succi inulę añ. vnc. j. theriecę vnc. ij. thuris drach. ij. piperis drach. j. axũgiæ, medulæ vituli, butyri recẽtis singulorũ vnc. j. olei chamæmelini, irini qđ sufficit. ex hoc ĩũgatur dorsum, brachia, &crura, cõcoquet materiam & dolores leniet. Ergo digesta materia euacuãda est. è simplicibus verò quæ præcipuè valeant, sunt colocynthis, & hermodactyli, & helleborus, &agaricus, & aloe, quibus admiscenda sunt, quę simul liquefaciãt, & dissoluãt, qualia serapinũ &galbanũ, & bdeliũ, & opopanacũ & hãmoniacũ, & mirrha, & laser, &eiusmodi. ex cõpositis autẽ cõsuetis sunt aggregatiuę pilulę, &de hermodactylis, & arthetice,

& indæ, & de lapide lazuli, & de benedicta & eiusmodi, tũ & electuariũ indum & hamec, & de benedicta, & theodericũ & hiera dia colicynthidos, & hieræ à Scribonio descriptæ, & alia multa. Facta igitur prima euacuatione rectè illi mihi videtur facere, qui & rursus cõcoquant, ac rursus purgãt. vidimus enim qui factis exactè purgationibus probè fuerint restituti, aliqui secũdos syrupos faciũt, simul etiam solutiuos, addẽtes ipsis, aut Senam, aut agaricũ, aut hermodactylos, aut hellebori scobẽ vel diebus singulis, vel alternis, quod etiam laudem.

Si igitur vna hæc curatio sufficere videatur, reliquis parcemus. sin autẽ non sufficere, vt profecto per plurimũ accidit, vbi aut inueteratus sit morbus, aut materia crassio

crassior & tenacior, tum alia tentare remedia oportet. quare & reliqua examinemus. Sunt qui statim ad se inunctiones illas transferunt, quæ è causticis fiunt. quod & primis temporibus maximè factitabant, sed certè satius ego existimo illa prius experiri, quæ & minus acerba sunt, & nullius periculi, quod quidā felici satis successu sæpe fecere, post purgationes aromatica quædam exhibentes, quæ tum exsiccant & abstergūt, tum subtiliant & confortāt. talia sunt calamus aromaticus, macer, agalochum, casia, zedoaria, zinziber, schinanthū, iris, & alia quorū decoctū malè videbitur conferre. aliqui solo ligno Iuniperi multos sanauere, alij cupresso, alij citro sola, quorum scobe non alio vtūtur modo, quàm & quo Gaiaco.

de

de quo iam dicēdum quando inter alia maximè in vſu eſt. Defertur ad nos arbor ea ex hiſpana vocata inſula noui orbis, & adiacētibus, vbi & morbus maximè familiaris eſt. optima autē, quæ ex ea inſula, quæ Beata vocatur.

Delatæ differenriæ ſunt multæ non negligendæ, nam primis temporibus trūci magni craſsiq́; afferebantur & antiquiſsimi, quibus albi parū, nigri multum inerat, nunc rami ferè portantur recenter cęſi, in quibus albi multū, nigri parum ſpectatur, hi amariores longè ſunt, & ſtiptici magis, antiqui acuti magis, quàm amari vel ſtiptici, magis etiam reſinoſi. abijciebatur primis temporibus ſummus cortex, nunc maximè is aſſumitur, maiore etiam prætio, quàm reliquum lignum.

Videtur autem hæc arbor omnia aptiſsimè præſtare poſse, q̄ in hoc expetuntur morbo. nam quoniā è ſubtiliſsimis cōſtat partibus, & ijs calidis circa tertiū gradum, & ſiccis, tum & reſinoſa eſt, poteſt quidem plurimum exſiccare modis omnibus. hoc eſt per caliditatem, per ſiccitatem per ſe, & per imbibitionem, poteſt & ſudorem prouocare, tum & ſubtiliare, & liquare materiam, & abſtergere, ac demum, quòd ſimul reſinoſa ſit putrefactioni & contagioni non parum obſiſtere. videtur autem & vim quandam medicatam habere, propter quod & aluum mouere ſolet. cæterum illud notandum eſt, quòd antiquū lignum, quod acutum magis ſit, etiam diſſoluit, eliquat, & ſubtiliat magis, q̄ recēs. quare vbi craſ-
ſior

ſior ſit materia, & gummoſitates multæ, id magis eſt eligendum. recens verò exſiccat quidē magis ea ſiccitate quæ per qualitatē exſiccare poteſt, minus verò per eā, quæ fit à caliditate. quare ſimpliciter exſiccat minus, quoniā quę à qualitate ipſa ſicca fit actio, ſatis pauca eſt cōparatione illius, quæ à caliditate fit. confortat autem magis, propter ſtipticitatē. quare vbi delicatior eſſet cōplexio, & deſideraretur confortatio mēbrorum, materia autē ſubtilior eſſet, eligēdum quod recens venit. Cortice quoq; indiſcretè multi vtuntur, putātes exſiccare magis, quoniam ſiccior videtur, ſed certè ſiccior & hic eſt ea ſiccitate, quæ à qualitate ſicca fit, & ab imbibitione, non autem ea quæ à caliditate. quare & minus

colliquat & ſubtiliat minus, & diſſoluit, & ſudorem minus mouet. quocirca & de ipſo idem dicatur, quod de recenti dictũ eſt. è ligno prꝗterea antiquo decoctio fiebat multo limpidior & multo acutior, quòd propter dẽſitatem eius ligni minus de ſcobe admiſceretur. plus autem acrimonia, quòd calidius eſt. è recenti autem & è cortice plus admiſcetur ſcobium, quare turbidior fit aqua & amara magis, minus autẽ acris, quòd tale ſit id lignũ & cortex, minus etiam ex hoc de ſpuma colligitur, quàm ex antiquo, quoniã in antiquo plus eſt de nigra ſubſtantia, vbi & plus reſinꝗ ineſt. quare ſæpe miratus ſum, cur tanta mutatio eius ligni ſit facta, & quomodo cortex qui abijci ſolebat, nunc in tantũ præ
tium

tiū venerit, nisi quòd natura medicorum est noua semper inducere, per quę & plus authoritatis & plus lucri acquiritur. eadē innouādi cupiditas aquam in qua coquebatur, mutauit in vinum, quod rursus indiscretè à multis non sine magno periculo vsurpatur. vidimus enim multos è potu vini illius malè affectos in insanabilē ægritudinē decidisse. quare qui cōplexiones calidas & siccas habent, habitudines extenuatas, materiā morbi adustiorem, ij cauere ab eo potu debent, securius verò ij accipient qui crasſi sunt, & humidi, & qbus materia morbi segnior est, & multi lentoris, & in locis remotis. in ijs enim nō inutile erit addere quod exportet virtutē ligni, & quod subtiliet etiam: & amabile mēbris sit, qua

de caufa multi & mel addũt, multi vinum non in ipfa decoctione, fed poft admifcent, quoniam fimul decoctum aufterifsimum, & ingratifsimum facit potum.

Præparatur autẽ lignum hoc pacto. Lima oportet fcobes ex eo facere, non contufione, nõ incifione, lib. j. pulueris in libris. 12. aquæ infunditur per horas. 24. in olla librarum. 16. capaci dein coquitur lento igne, collecta diligẽter fpuma & feruata ad vfus quos dicemus, donec ad dimidium cõfumetur. decoctũ hoc primũ colatur & feruatur, tũ fit & fecũdariũ decoctũ relictis fcobibus inijciẽdo totidẽ aquæ libras, fed hoc fi decoquatur ad quartæ cõfumptionẽ, fat erit. vti eo oportet loco vini, priore autẽ vtimur vt medicamine. funt qui in primo de-

cocto simul aut Senã, aut hermo dactylos, aut similia concoquãt. alij nõ hæc addunt, nisi singulis quinque, aut sex diebus. ergo primi decocti dantur in aurora vnc. vij. aut. viij. ægro in loco calido qui nec transpiret, cõstituto. qui è lectulo ante horas tres nõ exurgat expectans sudorem. horis ab hoc potu quinque prandiũ exhibeatur, à prandio horis. vj. rursus eiusdem decocti vnc. v. dentur, si æger ferrè potest, ac post horas iiij. cenet. primis tẽporibus æger per mẽsem integrum nunquam cubiculo exibat, nunc data est licentia maior, eo etiam tẽpore tãtum cibi exhibebatur, quo vix seruaretur vita, quod erat panis vnc. iij. vel ad summũ. iiij. carnis pullinæ vnc. ij. passularũ vnc. j. vino prorsus abstinebãt, loco cu

ius vtebantur ſecundario decocto, aut ſimplici, aut cũ melle facto, nunc omnia licẽtius agũtur. nam & domo exire ſinunt, & largius alunt. verũ qui patiẽtius cũcta ferunt, & ſecurius, & incolumius curãtur. aliqui panẽ biſcoctũ dari iubẽt, quo ſcilicet vt arbitror, exſiccent magis. ſed certè exſiccatio hæc nõ ea videtur mihi quã quærimus. quærimus enĩ nõ eã, quæ ex alimento fit, quatenus alimentũ eſt, ſed magis illã quæ circa humores fit, vt à medicamento. biſcoctus autem panis quatenus alimentũ mẽbra exſiccat, quod non quærimus, quatenus autem medicamẽtũ (quãdo & ipſe ſiccus eſt) & qualitate & imbibitione poteſt certè exſiccare, ſed ad humores non tranſit hæc exſiccatio, niſi prius exſiccetur

tur ſanguis ab alimento factus, quare & ſuperſtitioſum ſemper exiſtimaui hunc vſum & affectatum, & parum vtilem. Spuma verò quã collegiſti, illinẽda ſunt vlcera, ſi qua ſunt, nec nõ & calloſitates omnes, & loca quæ dolent. porrò ſatis eſſe ſolebãt huic potui dies triginta, nunc plures requiruntur, ſiue quòd materia craſsior & terreſtrior facta ſit, quàm primis temporibus, ſiue ꝙ non vtamur ligno antiquo, & licẽtia ęgrorũ ſit maior, qua de cã in maiori parte nõ ſemel ſed bis dari hũc potũ neceſſe eſt. Si verò in vino facere decoctum placet, prius bene cõſule & tẽperaturã ęgri, & habitudinẽ bene ſpectato, item & ætatẽ & anni tempus. põt idem decoctũ fieri in aquis ſublimatis endiuiæ & cicoreæ,

& lupulorum, & borraginis, & similium, quod iuuantissimũ nõnunq̃ vidimus. atq; ita se habet, quæ per Guaiacum curatio fit. quo si careas vtere vel suprascriptis iunipero, citro, cupresso, vel & Theda, & terebinto, & cedro, & ebeno, vel calamo aromatico cum radice Gentianæ. Nũc ad eos veniamus, qui per sudorem curant, viæ eorũ multiplices, alij per ea sublimata curant, quæ Elexir vocãt. omnia acutissima & ignea, periculosa quidẽ & vitanda. alij per ea faciunt quæ simpliciter sudorifica dicũtur, quibus & aromatica admiscent. sic enim & putrefactioni resistunt, & materiam liquant, & in sudorẽ vertunt. Præstantissimũ inuentum est radix Cynarum. ea (vt perhibent) è regione Sinarum defer-
tur

tur à negotioribus ijs, qui ad Ca
licut & Traprobanē,& vltra na-
uigãt.qua incolæ vtuntur ad ęgri
tudines multas, præcipuè autem
ad morbũ gallicũ, ſudorē pluſ-
quam credi poſsit prouocat, &
exſiccat, quare nec mirum eſt ſi
huic morbo valet. modus vtendi
hic eſt. Radices per tranſuerſum
incidantur in aſſulas tenues rotũ
das, atque harum vnc.j. in lib.12.
aquæ ponuntur in vaſe teſtaceo
capaci lib.16. ac igne lento ad cõ-
ſumptionē tertię partis coquun-
tur, decocti lib.j. datur in aurora
bibenda. reliquum ſeruatur loco
vini potandum. eiuſmodi deco-
ctum diebus ſingulis fit, duas vel
tres horas morari in lectulo o-
portet ac ſudare, mox ſurgendũ
ſi videbitur. verũ aperto aeri ex-
poni non conuenit, niſi poſt dies

ſeptem. Dantur autem toti curationi dies quinq; & viginti ferè, ita quòd vntijs quinq; & viginti tota curatio expletur. Interea omnis venus cauēda, acerba omnia & cōcoctu difficilia vitanda. ſi verò careas ea radice, vti potes loco eius radice cannarum noſtratium, cui calamū aromaticum addas. potes & radicē perſonatiæ decoquere, quæ mirè ſudorem ciet, cui ſi irim adiungas, vel xirim, & acorum, & calamū aromaticum & ſchinātum vtiliter facies. ac decocto vtendū erit per dies plures. poteſt & aliud decoctū fieri quod intentiones oēs complebit. Gentianæ, radicum bulalapathi ſeu biſtortæ, coſti, ariſtolochię, iridis, caſię ligneæ, ſcordij, dictami cretici, quod ſufficit de vnoquoq; infunde, deco-

que

que vt prædicta. Hęc ergo ſunt, quę factis debitis purgationibus ſi non recedit morbus, experiri potes, vti blandiora & ſecura magis. Nunc & acerba proſequamur, q̃bus primis tẽporibus ſtatim vtebãtur, ab empiricis primũ inuenta. alterũ fuit inunctio, alterũ ſuffitus. quæ quãuis empirice inuenta fuerint, & à ſimilitudine (vt diximus) ad ſcabiem, habent tamẽ idoneã rationẽ, nã ex ijs cõſtãt, que ſeminaria exurũt, & totã materiã exſiccãt & abſtergũt, & liquant, & in ſudorẽ vertunt. materia eorum è cauſticis potentia eſt, aut è propinquis cauſticis quibus adduntur conuenientiſsima quęque. quæ ergo in vnctionem veniunt, alia ſunt cauſtica potentia, non quidẽ quale chalcanthum & arſenicum vocatũ, &

ſub

ſublimatũ, ſed quale argentũ viuum, quæ materia ferè eſt huius medicamenti, eſt autẽ potentia cauſticũ quod ex ſubtiliſsimis atque igneis partibus cõſtat, quod ſublimatum oſtendit. vbi igitur particulæ illæ intra corpus actu factæ ſunt, ſiue quòd per ſe ſint natæ plurimũ calefacere ſimul ac vnitæ ſunt, & ſeparatæ ab alijs, ſiue quòd minima omnia argenti viui ſint apta plurimũ incaleſcere à calore noſtro, & ob denſitatem materiæ mox etiã exurere, tum quidem & exiccatio & exuſtio circa ſeminaria cõtingit. adduntur & quæ intro portent virtutes cauſticorũ, & ſimul emolliãt materiã, quo aptior ſit liquari, vt pinguia. adduntur & quæ ſubtiliãt & abſtergũt, & liquant, ac poſtremò quæ contagionibus

mo-

modis omnibus aduersantur. tale est quo sæpe vsi sumus quod habet Axungiæ porcinæ lib.ſ. butyri recentis vnc.iij. Terebinthinę, styracis liquidę singulorũ vnc.ij. Thuris, myrrhę, masticis singulorum vnc.ſ.iridis, aristolochiæ, Gẽtianæ singulorũ drach. iij.hellebori drac.ij.sulfuris vnc. ſ.nitri drach.j. ſucci inulæ, ſucci apij singulorũ vnc.j.olei laurini, rosati.q.ſ.aceti vnc.j. argenti viui pars omniũ octaua, misce & fiat vnguentum in mortario ferreo.possunt & leniores cõpositiones fieri, & diuersę formari prout & intentiones, & casus diuersi sunt.quare & illud notandũ erit, quòd vbi plus gũmositatũ videbitur, plus pinguedinum apponẽdum erit in vnguento.vbi minus gummositatum, plus autem pustu-

ſtularum & vlcerũ, plus puluerũ
apponatur, in delicatioribus verò
minus argenti addendũ erit. vbi
verò cõplexio calidior fuerit, im
ponenda, quę tẽperent, vt butyri
plus, & plus olei roſacei, minus
verò exſiccantium. prius autem
quàm linias exactiſsimæ purga-
tiones procurandę ſunt, & phle-
botomia etiã ſi expedit. qui ve-
rò inungẽdus erit loco calido po
natur, inungaturq́; totus pręter
caput, pectus, & ſub alis tũ ſtup-
pa multa calida faſciandus. ſunt
qui & ſacculos ex ordeo calefa-
ctos inter coxas & ſub alis, ac pe
dibus ponant, quo penetret vn-
guentum magis & ſudẽt melius.
aliqui bis in die inungunt, quod
graue nimium eſt, ſatis erit ſi ſe-
mel inungas. quidam & ſtatim
à prandio vngunt, quod & ſi ad
ſu

ſudorem eliciendum accõmodatum videtur, ad totam tamẽ nutricationem ineptũ eſt. quare melius inungere per horas quinque ante prandium, eo tempore nihil prohibet, & meracum etiam vinum concedi album. poſſunt inunctioni dies. x. dari, à quibus ſi exulcerari os incipiet, & ſputũ multum emitti, id compeſcendũ non eſt, ſed ſinendum, donec videatur os malè affici, tũ foue aut lacte, aut aqua ordei, & diamoro vel melle roſato. mox etiam vbi vlcerum ſanatio quęrẽda ſit, è ſtipticis & alumine os ablue & gargariſſa. dicendum autem & quæ iuuamẽta ex hoc linimento cõſequãtur, & quę nocumẽta. iuuamẽta erũt, quòd dolores miro quodãmodo tollentur, gummoſitates diſſoluẽtur, aut in ipſa vn-

ctione, aut post, vlcera sanabuntur, & pustulæ omnes recedent.
Verùm nō sine suis incōmodis & malis. quorum primum est fœditas vnguenti illius, mox grauius est, quòd os & palatū exulcerātur, ac sordicies tanta per os cōcitatur per dies .15. & amplius vt nihil fœdius, nihil intolerabilius videatur. cibus nullus mādi potest, etiam vix sorberi datur, dentes luxantur, somnus adimitur, & breuiter per id tempus nihil grauius sentiri potest. multi præterea sublato morbo, tremuli remansere, multis reuixit labes. Inuenere idem Empirici & suffitum, ægrum collocant in matella, pannis optimè circuntegunt, vt ne etiam os extet, tum Cynabarim cū thure mistū vrūt, quo suffitu incalescit æger mirū

in modum ac ſudat, acerbiſsimũ verò eſt medicamẽtum, quo ego nunquam auſus ſum vti ad corpus totum. ad certas autẽ partes vt crura & brachia quũ vel ſphaceli adſunt, vel ferè gũmoſitates, vel dolores, vel vlcera malè morigerata, etiam præſtantiſsimum arbitror. cæterum ab eo abſtinendum ſuadeo, nec empiricis credẽdum, quibus nihil temerariũ eſt magis, quãdo & per os etiam auſi ſunt argentũ viuum, & quod pręcipitatum vocãt, confectis ex ijs pilulis exhibere, quaſi eadem vis ſit argenti viui extrà appoſiti, & deuorati. Vtuntur autem Cynabari, quoniam & in ipſo potentia eſt viuum argentum.

Quærat autem fortaſſe aliquis vtrũ balnea cõueniant huic morbo, qualia Aponenſia & Porreta-

na aut etiam noſtra, nam & exſic care poſſunt, & abſtergere, & ſub tiliare, & ſudorem inducere. ad quod dicimus experientia cõſtare nihil aut parũ ea prodeſſe. cauſam ipſe arbitror, quòd debiliora ſunt, quàm vt poſsint materiã tam craſſam, & tam lẽtam liquare. leuiores quidem cutis infectiones qualis eſt ſcabies, & impetigo, & quæ ab hepatis aduſtione contingunt, & ſalſo phlegmate vel noſtra Calderiana tollere valenter poſſunt, maiora verò non poſſunt. propter eandem cauſam & pulueres qui ſuprà laudati ſunt contra contagiones frigidi exiſtẽtes, vt bolꝰ armenius, & ſphragis, & Gemmæ, nihil ad hunc morbum valent, ſed ſolùm qui calidi ſunt, vt Thus & maſtix, & myrrha, & ſcordium, & dictamum,
&

& alij quocunque modo fuerint administrati. Sunt autem cum hoc morbo accidentia quædam coniuncta, ad quæ particulatim interdum oportet adhibere remedia, inter quæ eſt dolor capitis, interdum totum occupans, interdũ partem, materia multa diſtenta & coacta ſupra caluariam ſub pericraneo vocato, quę ſępe nullis remedijs leuari ſolent. ad quos ego nihil iuuantius inueni, quàm inungere interna brachia pręſertim quà venæ cephalicę protendũtur hoc linimento. ſucci inulæ, ſucci brioniæ, ſtyracis liquidæ. Terebinthinæ ſingulorum vnc. j. gummi eleni vnc. ſ. pinguedinis vrſi anſeris, butyri ſyngulorum. vnc. j. ſ. Thuris, Iridis ſingulorum drachm. iij. olei irini quod ſufficit, argenti viui octauam partem.

Sunt ſæpe & gummoſitates tantæ duriciei, vt nec Guaiaci ſpuma, nec alijs ſolitis linimentis auferri queant. quandoque protenduntur per longitudinem tibiæ tanto dolore vt mors præferatur. quapropter ad valētiſsima remedia recurrere oportet, quidam ſuffitus prædictos adhibent, alij accenſo & candente pyrrhite lapide ſpargūt decocto Guaiaci & aceti & locum fouent. Confert autem & hoc emplaſtrum radicis cucumeris agreſtis radicis iridis ſingulorum quantum ſat eſt, coque dum tenereſcant, tum libram harum accipito ammoniaci, ſerapini, galbani ſingulorum vnc. ij. ſtyracis liquidę vnc. j. ʃ. pinguedinis vrſi, butyri ſingulorum vnc. j. argenti viui quartam omnium partem miſce, & pro arte emplaſtrū
confi

confice. interdum fauces & guttur ex prauis distillationibus ero duntur, quibus nisi succurratur, sæpe gargareo absumitur, sæpe vsq; ad ossa transit corruptio. factis ergo purgationibus, & quas potes, diuersionibus Gargarissare oportet decoctum quod fit ex ligustro & plantagine & Cytinis, in quo mox alumen & fex aceti & nitrum dissoluantur cum bolo armenio.

Tangere item oportet locum, si hæc non conferunt, bombice infusa in aqua eruginis, æris, sandaracæ, & aluminis. fit & aqua ad id mirabilis, distillatur Theiaca in aqua vitæ, & aceto per elambicum, aqua exit limpidissima virtutum multarum, pręcipuè autem valens vbi profundius conduci vis medicamenti debet. si er

go bolum armenium aut ſphragida in eo diſſolueris, ac partes erosas tetigeris, & ſeminaria eius contagionis abſumes, & eroſionem omnem ſanabis.

Nonnullis & pili cadunt, aut barbæ, aut ſuperciliorum, aut & capitis, quod deformes, & ridiculos homines facit. continuò ergo è ſpeciebus hierę diacolocynthidos pilulas confice, & à cibo suſcipe, tum Guaiacum cum melle & ladano in vino coque, & foue locum eo decocto calido.

Valet & hoc odoriferum quod habet Pomatæ vocatæ vnc. ij. ladani vnc. ſ. muſci gra. iij. aq̄ roſatę in qua bullierint gra. vj. ſublimati vnc. j. miſce omnia & bene incorpora, & line. Valet & aqua prædicta è Theriaca diſtillata.

Accidit quādoq; vt adoleſcen

tuli ſint, qui hoc laborant morbo vel è matre contracto, vel è nutrice, quibus prædicta auxilia pręſtari non poſſunt. his caſibus ego conſueui facere decoctionē Guaiaci quo pacto monſtrauimus ſuprà, mox decoctum id per elambicum in puriſsimam aquam diſtillari iubeo, ac puero bibēdam do diebus ſingulis vnc. iij, vel. iiij. ea & ebibi non ingrata eſt, & nō parum iuuat. atque hæc demum ſunt quæ de ſyphilide morbo dicenda mihi viſa ſunt. ad quæ ſi quis rectè reſpexerit, compoſitiones multas & varias formare poterit, pro ætatibus & ſexu, & complexionibus, & materia, & reliquis, quę diuerſa quum ſint, diuerſa etiam remedia expoſcunt.

De Curatione Elephantię. Cap. 11.



QVi de curatione Elephã tiæ ſcripſere, ſicuti mate riã ſolam in qua cõſiſtit conſiderarunt, ita de ea ferè ſola, quæ in nobis primò fit, curatio nẽ tradidere. de ea verò, quæ per cõtagionem ab alio cõcepta eſt, atq; ea quoq; quæ primò in nobis fit, quatenus contagionis rationem includit, nihil certè attigere, quod profectò par erat facere. nã in ea quidẽ, quæ cõtagione contracta eſt, ſano alioquin homine exiſtente, & melancholia nõ exuberante, quid per deos facies per initia? ſi materiã digeras, ſi euacues, cur & in ea, quæ in nobis fit, Archigenes pſilothris vtebatur, & cauſticis, vel ijs quę cauſticis propinqua ſunt, cur nõ ita in cancro operamur? quũ ex ea-

dem materia ſint, certè nõ oportebat ſolũ dicere, redundãte in venis melancholico humore, & nõ potẽte à ſplene trahi & digeri, expelli à natura ad cutim, atq; illic eas puſtulas facere: ſed oportebat & illud enarrare, quòd illic putreſcit, nec ſolũ hoc, ſed quòd putreſcit ſordida quadã & cõclusa putrefactione, per quã & contagionis ſeminaria includit, atq; in hoc à cancro differt. propter quod alijs cancer, alijs Elephantia indiget, quãquam remota in materia cõmunicẽt. quapropter ſi alicubi audies Galenum dicere eodem modo curare oportere Elephantiã, quo & cancrũ, quòd ex eadem materia ſint, intelligas oportet quantũ ad antecedẽtem & remotã materiã ſpectat. dupli cem igitur ſcopũ in Elephantia

esse scito, alterũ ad materiã istam remotã, si qua est, quæ in corpore redundet, alterũ ad materiam quæ circa cutim iam putrescit, & contagiosa fit. si igitur prior illa materia redũdare tibi videbitur, protinus secare nõ solũ vnã basilicam debes, sed & vtrãq;, si expediens videbitur, consentientibus cæteris. verũ per initia hæc fiant, & quum in aliquo primo oborta est contagio. nam vbi aut ab alio accepta fuerit, aut in tantum processerit, vt fera iam sit, tum si secabis venam, contagem introrsum trahes, & hominẽ in maiori periculo statues, reliquã verò materiam digerere oportebit, & mox euacuare. digeremus autẽ per ea quæ incidunt, & subtiliãt, & abstergunt, ea cõmiscentes quæ leuiter humectẽt. quare aptissimũ erit

erit ſerum caprinũ, in quo decoquãtur ſtœchas, & Thymum, & Epithimum, & ſatureia, & ſcordiũ, & dictanũ creticum, & iris, & ſeris, & lychen, & ſtratiotis, & eiuſmodi quæ variãda erũt, prout & materia modo minus, modo magis exuſta eſt. ſyrupi verò erunt, & oxymel, & quæ fit de epithimo, & de fumo terræ, & ſabor, & de pomis, & eiuſmodi. eua cuare autẽ oportebat per Hieras qualis eſt diacolocynthidos, & Ruffi Hiera, & Archigenis, nec non & per Helleborũ & Epithimũ, & Senã, & polypodium, & ſimilia. Materia verò quæ puſtulas facit, & ipſa quidem digeri vult, hoc eſt parari vt abſumi poſſit. faciũt autẽ hoc, quæ ſubtiliãt & leniter molliunt. quoniã verò & lentore quodã ac ſorditie referta

ferta est ea materia, tum & seminaria cōtagionis includit, abstergētibus, & exsiccātibus indiget. exsiccantibus aūt non mediocriter, sed validioribus & aut potētia causticis, aut propinquis. medicamenta igitur, quæ huic cōtagioni valent, sunt quale nitrū & sulfur, & helleborus, & cedria, & Thus, & iris, & argentum viuū, & terebinthina, & styrax liquida, quibus addātur adipes è quibus placeāt Taurinus vulpinus, Vrsinus & Leoninus. dubitabit autē aliquis quomodo tam calida coueniant, quoniā tam materia quàm seminaria in adustione quadā consistunt, quare fieri videtur, vt in vtroque adaugeatur adustio. Verùmtamen videmus & antiquos ex his medicamenta exhibuisse, qui & nitro, &

alcyo

ālcyonio, & psilotris, & vtroque helleboro, & trochiscis Andronis vtebātur. rectè igitur fieri existimamus, vt per prædicta contagionem hanc extinguamus. sed conuenientissimè apponētur aliqua quæ tum humectent, tum & aliquantulum refrigerent. placet igitur vt butyrū addatur, & mucilago, psilij, & polygonati, & succus solatri hortensis & similia, ne plus æquo sanguinē exuramus. præcipuam autem & in hoc vim habet argentū viuum sicut & in Gallico morbo. Ad hæc autem valet & viperę caro, & viperatū vinum, & crocodillorum terrestrium & asellorum, qui sub vrceis degunt, nec nō & trifolium, asphaltite, & syderitis herba, & calamus aromaticus, & rasura eboris, placent & balnea tepida.


In


In quibus ſi more antiquorũ inunctiones prædictæ fiant, nõ certè præter rationem fiet.

Sunt porrò & alij in contagione constituti morbi vt lepra ita à græcis vocata, & ſcabies, & papulæ, & areæ, & ophiaſes, & ophthalmiæ quędam, & dyſenterię etiam nonnullę, quorum omniũ curationi ſcribendæ parcemus, exiſtimantes è prędictis viã vnicuiq; ſatis patere ad ea rectè tractanda. quare & quantum ad inſtitutum noſtrum negotium attinet hæc dicta ſint.

LVGDVNI,
Excudebat Nicolaus
Bacquenoys.







CH
390 12



